

05

A

939





ASSERTIO THEOLOGICA SANA ET SOBRIA

DE

QVÆSTIONE,
NUM CHRISTUS IN TRIDUO MOR-
TIS VERUS HOMO PERMANSERIT ?

ERRORIBUS ET QVISQVILIBIS

OMNIUM OMNINO HÆRETICORUM, AD-
VERSARIORUM, ALIORUMQ; DISSIDENTIUM DOCTORUM,
QVI VEL DIRECTE, VEL INDIRECTE, PRÆTER VERITATEM
DIVINÆ NATURÆ, NATURAM VERI HOMINIS IN
CHRISTO UNQVAM NEGARUNT, ET AD-
HUC NEGANT, OPPOSITA, ET
SUB ANNIVERSARIA VERÆ CHRISTI ΘΕΑΝΘΡΩΠΟΥ MORTIS,
MORTIS HOMINIS ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΟΥ PERPETUI AN-
TIDOTI REVOLUTIONE,

PRÆSIDE

*VIRO PLURIMUM-REVERENDO, AMPLISSIMO ATQVE
EXCELLENTISSIMO*

DN. JOHANNÉ MEISNERO, S. S. THEO-
LOGIÆ DOCTORE, ET P. P. CELEBERRIMO,
ET ALUMNORUM ELECTORALIUM EPHORO
GRAVISSIMO,

DN. PRÆCEPTORE, PATRONO AC PROMOTORE SUO OMNI
PIETATIS ET OBSERVANTIÆ CULTU ÆTERNUM
PROSEQVENDO,

AD EVENTILANDUM PUBLICE PROPOSITA

A

M. CHRISTOPHORO GRAUMULLERO,
EISENBERGA-OSTERLANDO, COLLEGII PHILOSOPH.
ADJUNCTO.

IN AUDITORIO MAJORI AD DIEM PARASCEVES.

EDITIO ALTERA.

WITTEBERGÆ,

Apud DANIELIS SCHMATZII Acad. Typogr. VIDUAM, Anno 1674.



05 A 939





Præloquium.



Erè admirandum hodiè dicit, qui **CHRISTUM ΘΒΑΝΘΡΩΠΟΝ**, mortuum dicit, qui Principem vitæ interfectum dicit: Dicit sanè admirandum. Namq̄, totam rem nos si penitiùs intueamur, Immensus capit vitæ terminum; Æternus subit fatalem horam; Immortalis moritur; Simplicissimus disvellitur; Vita vivere desinit; Ab aeterno genitus in tempore deficit; Infinitus dies mortalitatis finit; Interminabilis & incomprehensibilis potentia Deus animam agit; Conditor orbis intra saxi angustias conditur; Angelorum Decus squalore mortis obruitur; Splendor Paternæ gloriæ tenebrosâ morte occulitur; Character Patris vestigia mortis ostendit; Imago invisibilis Dei pallidâ mortis imagine circumdatur; Fons eternarum divitiarum arescit; Perfectissimus vitam nativam non habet; Sapientissimus exanimis est; Beatissimus in gelu mortis datus est; Læx incommutabilis occidit; Quæ cæli cælorum non capiunt, ærâ capit; A quò cuncta pendent ineffabili virtutis perennis illat su, in corpore inanimis pendet; Qui portat omnia verbo virtutis suæ, animam in tumultum secum non fert; Amor noster; Honor noster; Thronus noster; Spes nostra, Resurrectio nostra; Corona nostra, **CHRISTUS JESUS**, hæret in faucibus mortis, & intineè coarctatur. Hæc jam enumerata de Morte Christi, & in Codice sacrò fundata oracula hodiè quàm vera, tam falsa eorum sunt è contrariò omnia & singula desipientis Rationis commenta, quibus nonnulli permanentem **VERI HOMINIS** Naturam Christo Θεανθρωπῶ, in **TRIDUO MORTIS** subtrahere conantur. Caterùm ne evitandæ Scyllam in Charybdim nos equè incidamus, impresentiarum ea omnia, quæ ad penitiorem hujus controversiæ sensum, & integram explanationem facere videntur, solidissimè contemplari, & bonò cum Deo sequentibus tribus Articulis comprehendere nobis constitutum est: Attamen eâ ratione & methodò, ut **PRIMUS ARTICULUS** sistat



assertæ Quæstionis, tum in Genere, tum in Specie Declarationem. SECUNDUS exhibeat Quæstionis declaratæ cum adequato prius positò Controversia statu per Argumenta Confirmationem. TERTIUS proferat confirmatæ Quæstionis à Dissidentium Doctorum opinione Vindicationem. CHRISTUS JESUS, qui factus est nobis Sapiencia à Deo, & Justitia, & Sanctificatio, & Redemptio, propter pretiosissimam suam Mortem & mox subsequutum Triumphum, & gloriosissimam victoriam, nostrum hoc conamen Theologicum feliciter esse jubeat!

ARTICULUS PRIMUS.

Sistens assertæ Quæstionis, tum in Genere, tum in Specie, Declarationem.

Punctum I. Ubi Declaratio Generalis.

§. 1. Puncti prioris negotium ut ritè expediatur, PRIMUM à prælenti Quæstione integrâ abesse & abstinere jubemus PROFANOS, PAGANOS & HÆRETICOS, quorum horrenda somnia & deliria, quæ in Christum Deum & Hominem, evomerunt, apud D. Gerhard. Tom. I. LL. Theol. p. 701. & Fewerborn Fasc. IV. Diss. I. p. 6. nec non ex Epiphani. Augustin. Arnobio Seniore, Eumenhorstio, cæterisque plurimis, collecta legas apud Plurimum Rev. Ampliff. atq; Excellentiss. Dn. Dorscheum, S.S. Theol. Doct. & Prof. P. Argentor. celeberrimum in Panegyri Paschali Admirand. Morris Jesu Christi. Præcipuè autem abesse & abstinere jubemus I. NESTORIANOS, delirantes, quòd Deus & Homo in Christo non constituent unam personam; sed quod alius sit Dei Filius, & alius Hominis Filius. II. EUTYCHIANOS, rabiosè vociferantes, Divinam & Humanam Naturas, in unam essentiam commixtas, & Humanitatem in Deitatem mutatam esse. III. ARIANOS, blasphemantes, quòd Christus non sit verus, naturalis & æternus Deus. IV. MARCIONITAS, sibi imaginantes, & docentes Christum veram humanam naturam non habuisse, de quibus numerò quatuor *Φλυαρίαις* & errorum divortiis consulatur *Formula Concord. Artis. de Pers. Christi p. m. 610. Chemnit.*

in

in Lib. de duabus Christi Naturis. Hutter. in Explic. Concord. Artic. de Pers. Christi p. 775. Gerhard. Tom. I. Loc. Theol. p. 701. §. 15. Jacob. Martin. in Colleg. Super. August. Confess. Artic. III. Osiand. Euchir. Controv. contra Calvin. pag. 94. Fewerborn. Fasc. IV. Disp. I. de Morte Christi pag. 6. & 7. Fasc. V. Dissert. Theol. 3. de Pass. Jesu Christi p. 106. Danbauer. Χριστοσφίας Sect. I. & II. Artic. 1. V. JESUITAS, (1) præposterè definièntes unionem duarum in Christo naturarum Personalem, per Humanitatis, h. e. carnis sustentationem, quæ tamen est actus omnib; tribus personis communis, communis itidem, ut refert D. Danbauer. l. cit. Art. III. p. 45. omnibus creaturis. Videas Bellarm. l. 3. de Incarn. cap. XVII. in fine. Item Busaun contra D. Gerlach. (2) Calvinizantes (a) nullam esse idiomaticam realem communicationem in Christo, ut liquet ex Bellarm. l. 3. de Christo c. VIII. & Suarez Tom. I. Q. XVI. Disp. XXXV. Sect. 1. & c. p. 555. Ideò non possunt hanc propositionem: Deus (Filius Dei) est mortuus, sincerè credere. Prolixiorem si quis petit informationem, legat Fewerb. Fasc. IV. Disp. I. p. 11. & seqq. (β) Christum secundum Humanitatem per & propter unionem personalem non esse Deum, videantur Gregor. de Valent. in Defens. Disp. IX. contra fundam. Ubiquit. p. 42. & c. & Osiand. loc. alleg. pag. 104. cum tamen aliud velint Propositiones ejusmodi personales, scilicet; In Antecedente concretum naturæ unius, & in consequente concretum naturæ alterius ubiq; poni, v. g. Filius Mariæ est Filius Dei vivi, nempe per unionem hypostaticam, quia nimirum humana Natura est assumpta in Filium Dei, & in ipso subsistit, item, Filius Hominis est Filius Dei vivi, Matth. XVI, 16. German Davidis est Jehova Jerem. XXIII, 5. leg. Form. Concord. l. cit. p. 607. Gerhard. Tom. I. LL. Theol. pag. 716. §. 58. & seqq. Mentzer. in August. Confess. p. 121. Danbauer. sede jam laudatâ p. 61. Dieter. in Artic. de Pers. Christi p. 401. VI. CALVINISTAS, audacter propugnantes (1) non tam Christi Personam, sed tantum naturam ipsius humanam esse mortuam; & solam Humanitatem in Christo esse passam, ut constat ex scriptis Bezae & Herborensum. Istam itaque exclusivam particulam adhibent, ut à passionis & mortis κοινωνία excludant τὸν λόγον. Quod etsi neget Steinius referente Fewverb. l. cit. p. 10. in Vindic. Concion. Irevita pag. 45.

Tamen tam diu verum manebit, quam diu Calvinistæ defendent
 hoc axioma: Propria non possunt alteri subjecto, tametsi unito,
 communicari realiter. (2) In his Propositionibus: Deus est pas-
 sus; Christus est mortuus, &c. Synedochon esse, vid. *Martin. Bre-*
mens. Calvinist. (3) Communicationem idiomatum esse verba-
 lem, h. e. tantum inter nuda verba consistentem, legatur *Zwinglius*
cum sua pessima cohorte. VII. PHOTINIANOS, præfractè adstru-
 entes, in Christo non esse aliquam Divinam Naturam, de quâ
 impietate & venenô legatur *Catechismus Racoviensis.* VIII. WEL-
 GELIANOS, monstrosè tradentes, Deitatem Filii esse coeleste
 illud corpus, der Himmels Leib. Ita enim *part. 1. Post. p. 214.* der ei-
 nige Christus hat zwey Leib/einen aus der Jungfrauen Maria/ den
 andern/ nemlich den Göttlichen Leib/ aus dem H. Geiste/ denn das
 Wort war Fleisch &c. & post pauca: Christi sichtbarer Leib war
 aus der Jungfrauen/nicht von Mannsaamen/sondern durch Götte-
 liche Wirkung angenommen / daß er bey uns auf Erden wohnen
 und nüt seyn könt. Denn sein Göttlicher Himmels-Leib aus dem
 H. Geiste/hätte bey uns nicht wohnen könn n/ er wäre uns nichts
 nütze gewesen ohne den äussern sterblichen Leib. Denn wer wolte
 bey der Sonnen wohnen/ so sie bey uns auff Erden wäre? gar nie-
 mand: Also auch mit Christi Himmlischen Göttlichen Leibe aus
 dem H. Geiste. Darumb müste er einen irdischen sichtbaren Leib
 an sich nehmen aus der Jungfrauen Maria. Tandem quoq; abesse
 & abstinere jubemus ILLOS OMNES, quotquot nondum didi-
 cerunt è solis divinis Oraculis sapere; & qui præcipuè, quacun-
 que viâ, Christum Deum & Hominem, & Christi, Dei & Homi-
 nis, mortem contaminare, atq; in ipsâ morte Christo, *Θεῶν ἰσο-
 ῦσιν, veri Hominis* rationem satis pro imperio derogare autumant:
 Et è parte contrariâ tales adesse & permanere volumus, quibus
 nobiscum sanctiora sunt Librorum Sacrorum monumenta, quam
 ut scenicum hic quippiam, aut supposititium, aut monstrosum
 admittatur, & admittendo ad illud contaminetur.

§. 2. DEINDE pariter advertimus, Quæstionem hanc impor-
 tare mysteria, & quidem tam sublimia, quæ prorsus omnem na-
 turæ vim rationisq; dictamen excedunt, neque ullâ mentis acie
 attingi, nedum comprehendi queunt. Minimum itaq; persuasi-
 onis

onis nobis inferent Summi Aristotelis principia Physica, & regula Philosophicæ: *Sublatis partibus essentialibus, tollitur & totum. Destructâ unâ parte principali, destruitur totum &c.* Et sic per applicationem: *Datâ corporis ab animâ in Christo solutione naturali, definit esse verus homo.* Ut primum enim ad Christum ante mortem, in ipsâ morte, & post mortem nostros fider oculos adjicimus, illicò nobis inculcat Scriptura Sacra, Christum non esse $\psi\lambda\acute{\alpha}\nu\theta\epsilon\omega\pi\omicron\nu$, h. e. nudum hominem tantum, ex animâ & corpore propriâ subsistentiâ constantem; sed $\Theta\epsilon\acute{\alpha}\nu\theta\epsilon\omega\pi\omicron\nu$ h. e. simul Deum & Hominem in duabus & ex duabus naturis in una personâ subsistente, ita ut duæ naturæ, Divina & Humana, personaliter unitæ, sint unus Christus, & unus Christus sint duæ illæ personaliter unitæ naturæ. Christum autem non esse nudum hominem, liquet *partim ex naturâ humanâ* per quam etsi intelligamus totum hominem, animâ & corpore, tanquàm partibus essentialibus physicis constantem; attamen ea ipsâ, ut orthodoxè docet *Damascenus l. 3. Orthod. fid. c. IX p. 200.* non est $\text{ιδιοσύσα} \text{ } \Theta$, habens propriam ὑπόστασιν , nec est $\text{ἀυθυπόσα} \text{ } \Theta$, persona per se subsistens; nec est $\text{ἀυυπόσα} \text{ } \Theta$, insubsistens, vel subsistentiâ carens; sed $\text{ἐνυπόσα} \text{ } \Theta$ subsistens in personâ $\tau\grave{\epsilon}\lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma$, h. e. non alibi unquam, nisi in Hypostasi $\tau\grave{\epsilon}\lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma$ suam SUBSISTERE obtinuit, illud adhuc obtinet, & in omnem æternitatem obtinebit. *Partim ex Personâ Christi*, quam si post incarnationem intueamur, & consideremus, tum ad totum Christum, sive illius personæ integritatem, non sufficit intelligere alteram solùm Naturam, sed utramque, Divinam videlicet & Humanam, legatur *Form. Concord. p. 763.* Ambæ hæ naturæ, quoniam à primò conceptionis puncto inter se unitæ sunt, ut neutra vi unionis personalis ab alterâ in omnem æternitatem, ullò aliquò modò, dissolvatur; sed ut Humana in ipsâ $\text{ὑπόστασι} \text{ } \tau\grave{\epsilon}\lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma$ cum Divinâ perenniter subsistat, etiam in triduanâ morte solutio naturalis inter corpus & animam, ob intimum, penitissimumq; subsistentiæ immensæ commercium, & ὑπερχώρησιν , h. e. immeationem ipsarum duarum Naturarum, & ineffabilem participationem, Christo θεοῦ θεώσεως profus nihil præjudicare potuit, quin & tum temporis manserit idem Christus, h. e. Deus & Homo, qualis ratione totius Personæ,

sonæ,

sana, licet diverso modo, ante mortem, & post mortem existit,
& adhuc existit.

Punctum II. Ubi Declaratio Specialis.

§.3. Quod concernit *Puncti posterioris* declarationem, diligenter attendendum est propositæ Quæstionis tum *Subiectum*, quod suppleant voces, *Christus in triduo mortis*, tum *Prædicatum*, quod reliquis verbis absolvitur. De SUBJECTO & quidem ex parte vocis CHRISTI, notamus, illam esse Græcam, & significare Unctum, *Job. I, 41*. Non autem descendit à *χεῖμα*, propriè mutuor, commodato accipio, item utor, ut vult *Justin.* referente *Gerhard.* Tom. I. LL. Theol. §. 5. p. 698. *Apol. 2. p. 42* sed ὡς τὸ χεῖμα, ungo, *χεῖμα*, ungor. Est enim ipse donatus & unctus Spiritu Sancto, & virtute non ad mensuram, *Job. III, 34. Act. X, 38.* & oleo lætitiæ ultra consortes suos, *Pl. XLV, 8.* Et *Ebr. I, 9.* Unde Ebræis dicitur משיח, *Psal. II, 2.* à radice משה, perunxit, inunxit. Sic enim inquit Messias Christus, *Esa. LXI, 1.* רוּחַ אֲדֹנָי יְהוִה Spiritus Domini Domini super me, propterea משיח unxit Dominus me, לְבַשָּׁר ad evangelizandum (ad annunciandum carnea, i. e. mollia & læta: Nam בשר deducitur à בשר) mansuetis.

§.4. Verùm observare oportet, quæcunq; de vocabulo *Christi* egregiè monent (1) *Irenæus l. 3. c. XX.* In Christi nomine, inquit, subauditur, qui unxit, & ipse, qui unctus est, & ipsa unctio, in quâ unctus est. Et unxit quidem Pater, unctus verò est Filius in Spiritu qui est unctio &c. (2) *Damascenus l. 3. de Orthod. fide c. III. p. 172.* Nomen *Christus hypostaseos, personæq;* dicimus, non unimodè (*μονοθεῖως* i. e. non de unâ naturâ, ut ibi explicat *Interpres*) dictum, sed *duarum Naturarum esse significativum*, (quod utinam hodierni *Rationalistæ* secum diligenter ponderarent!) Verum *Christus se ipsum unxisse dicitur; ungens quidem, ut Deus suâ Deitate corpus, unctus autem ut homo.* (3) *Gerhard. Tom. I. LL. Theol. p. 699.* Appellatio *Messie & Christi* tribuitur *Salvatori nostro* etiam in *Veteri Testamento* propter ταυτότητα *Personæ*; quia unctio illa non tantum in æternò consiliò definita, sed etiam prædicta & in typis adumbrata fuit. Hæc de re plura qui scire cupit, præter *Gerhard. l. c. p. 698. §. 5. Dierer. in Art. de Personâ Christi p. m. 381. & Fewerb. Fasc.*

*Fasc. V. Diss. sede alleg. p. 96. §. 4. & 5. adsat Notas Dn. D. Cuedisti
beat. memor. & quondam P. P. Jenensis celeberrimi in Comp. Hutt. p.
152. Interim insignis fallacia est Enjedini, Photiniani istius perversis-
simi, qui inde, quod Redemptor noster dicitur $\chi\rho\iota\varsigma\tau\omicron\varsigma$, unctus,
passim defudat ebicere, quod non sit verus Deus, quippe qui ne-
queat ungi.*

§. 5. Deniq; de hōc *Christō*, Deo & Homine, in triduo mortis
verè mortuō, tenendum est, quod à Spiritu Sancto appelletur Dei
Patris & Mariæ Filius, teste Paulō *Rom. VIII, 32. & 34. & c. V, 10. 11.*
Et quidem ejusmodi consonō fidei intuitu, mortis nimirum o-
bitæ (1) *Principium Quod esse & manere Christum*, partim super
omnia Deum benedictum in secula, *Rom. IX, 5* & Dominum Do-
minorum, *Apoc. XVII, 14.* partim verum Hominem in unitate Per-
sonæ suæ, *Matth. XVI, 13. & 1. Tim. II, 15.* (2) *Principium Quo*, Huma-
nam Christi Naturam, *1. Petr. III, 18. & c. IV, 1.* utpote passionis &
mortis maximè capacissimam. Fatemur itaq; cum *Form. Concord.*
Edit. Lips. Anno 618. p. 771. Hæc Persona (monstratō *Christō*) pati-
tur, moritur; hæc autem Persona est verus Deus; & p. 772. Nisi
hæc vera sint: Deus mortuus est pro nobis; & si solus homo pro
nobis mortuus est, tum profectō prorsus actum fuerit de nobis.
At verò si *DEI MORIS*, & quod Deus ipse mortuus est, in alterā
lance ponitur, tum ille deorsum fertur; nos verò instar vacuæ &
levioris lancis sursum tendimus. &c.

§. 6. Ex parte Conceptus hujus, *IN TRIDUANA MORTE*,
præsertim hīc demonstranda venit, *Christi, Dei & Hominis*, mor-
tis veritas, à quā cum iis omnibus, quorum §. I. mentionem feci-
mus, discedunt & illi, qui pro suō deliranti judiciō contendunt,
Humanam Naturam, utpote à Filiō Dei assumptam, ipsiq; per-
sonaliter unitam, passioni & morti non fuisse verè obnoxiam; sed
sicut telum transit quidem per aquam & ignem, veruntamen sine
perceptione passionis & doloris; ita quoq; Christum in acerbissi-
mis suis passionibus nullos dolores verè sensisse. In quorum er-
rantium numerō tradit *Fewerborn. sede alleg. p. 8.* fuisse Hilarium.

§. 7. Quod autem non sola humana Filii Dei Natura, sed ipse
Filius Dei, & quidem non merè verbaliter, nec tropicè, multò
minus à $\alpha\phi\alpha\rho\rho\delta\omicron\kappa\eta\tau\omicron\varsigma$, sed realiter, & propter unionem hypo-

B

stati-

staticam verè mortuus sit, probamus hisce duobus sequentibus argumentis: Primum Argumentum sumimus à *reali duarum inter se personaliter unitarum naturarum unione* ἡ κοινωνία *verissima*. Si enim ὁ λόγος factus est (non quidem per transmutationem, sed hypostaticam κοινωνίαν, *Ebraeo. II, 14.*) caro, uti est *Joh. I, 14.* Ergo carnis hujus, à τῷ λόγῳ assumptæ afflictio, passio, crucifixio, &c. non sunt alienæ à τῷ λόγῳ, sed ad eum ὄντες καὶ ἀληθῶς permeant & penetrant. Cujus enim verè proprium est subjectum, eorum quoque verè propria sunt subjecti illius πάθη. Quia ergo sanguis effusus est ipsius Filii Dei verè proprius, sicut docetur *Act. XX, 28. Ebr. IX, 12. & c. X, 19. & c. XIII, 12. I. Joh. I, 7.* quare effusio illa est ipsi quoque verè propria propria, inquam, *non proprietate naturali & essentiali* (ὁ λόγος enim non factus est caro φυσικῶς καὶ ἁποδοῶς, neque per μέθεξιν genericam) *sed personali*. Persona enim τῷ λόγῳ facta est persona carnis assumptæ per unionem hypostaticam.

§. 8. Argumentatio hæc illustrari potest ab unione physica inter animam & corpus humanum. Si enim anima humana afflictiones & passiones sui corporis propter verissimam cum eodem unionem sibi realiter appropriat, adeo ut quando caput est lethaliter vulneratum, anima rationalis doloris expers non sit, ejusque usus sæpè impediatur, & proinde homo, sic sauciatus deliraret; quanto magis ὁ λόγος, unigenitus ille Filius Dei Patris, suæ carnis & sui corporis verbera & vulnera, sui sanguis effusionem, suæ animæ angustiam, & labores sibi ipsi verissimè appropriavit? Nam unio inter τὸν λόγον assumptem, & carnem assumptam, longissimè, imò infinites intimior, arctior, penitior, penetrantiorque est, quam unio physica inter corpus & animam hominis. Ὁ λόγος enim factus est caro, & Filius Dei est Filius hominis. At anima non est facta suum corpus.

§. 9. Secundum argumentum mutuamur ab utroque Veteri & Novo pacto, norma fidei nostræ certissima, *Act. XX, 28.* Deus ac quisivit Ecclesiam διὰ τῷ ἰδίῳ αἵματι. *Act. III, 15.* τὸν Αρχηγὸν τῆς ζωῆς interfecistis. *I. Cor. II, 8.* Si cognovissent, Dominum gloriæ non crucifixissent. *Eph. V, 1.* Christus tradidit ἑαυτὸν, semetipsum pro nobis, & v. 25. Christus ἑαυτὸν se exposuit pro Ecclesia. *Tit. II, 14.* Christus dedit seipsum pro nobis, *Ebr. IX, 26.* Nunc semel sub

Sub consummationem seculorum ad profligationem peccati per
immolationem sui ipsius apparuit. Hæc & similia dicta, quibus
plena est Scriptura N. T. confer cum dictis parallelis V. T. ut *Pf.*
XXII. & CXXX, 8. Esa. XLIII, 24. & L, 6. & LIII, 4. & c. & LXIII, 3.
Jerem. XXIII, 7. Ezech. XXXVII. Dan. IX. Hos. I, 7. & XIII, 14. Zach.
XIII, 9. 10. 11. & c. XIII, 7. & passim.

§. 10. Testimonia hujus argumenti secundi neq; per ἀλλοίωσιν
Zwinglii (quam meritò Lutherus vocavit Diaboli larvam) neq;
per *Synecdochen* totius pro parte, sed *literaliter & propriè* sunt in-
telligenda. Quia Spiritus S. nulla tropi monstrat in iis vesti-
gia; sed potius unò tenore claram literam repetit, quæ repetitio
adfert nobis ἀσφάλεια, i. e. minimè lubricam, sed immotam, in-
dubiam, tutamq; securitatem, *Phil. III, 1.* At si toties unò & con-
stante tenore repetita Spiritus Sancti litera esset deferenda, &
modicatè sumenda; tum nobis inde non apportaretur ἀσφά-
λεια, sed instabilis lubricitas, & lubrica instabilitas. Adstruimus
itaq; cum *Dn. D. Dorscheo ex Admirand. Morris Jesu Christi:* Im-
pius est, qui hanc sacram, hanc tremendam Angelis, hanc morta-
libus adorandam thesin; DEUS EST MORTUUS, sequenti ca-
villamentò fœdet, HUMANA NATURA EST MORTUA. Et
p. 329. Quisquis dicit, solam humanam Naturam esse mortuam,
unionis miraculum non attingit, Naturæ casum explicat.

§. 11. Nobis aliàs quid communiter MORS sit, & quidem ra-
tione temporis circumstantiæ TRIDUANA, neminem latet: Ve-
rùm TRIDUANA Christi MORS, incomparabilis, incompre-
hensibilis, imò miraculosa mors fuit. Nam per mortem Christi
soluta quidem fuit unio corporis, & animæ naturalis, non autem
cum animâ & corpore unio λόγος personalis. *Gerhard. in Harm.*
Evang. passion. c. XVII. p. m. 825. Hinc admirandum est, declamat
Dn. D. Dorscheus l. cit. p. 359. mortem fieri in eâ Natura, quæ Divi-
nitatis plenitudine impleta est, & plenitudinem Divinitatis nun-
quam reliquit: Admirandum est, vitam naturalem cessare in
eâ Naturâ, in quâ fuit vita Divina. Imò admirandum est, in
eâ Naturâ ad momentum vitam deficere potuisse, in quâ peren-
niter duravit vita Divina. Imò admirandum est, Animam, vitâ
Divinâ, & infinitâ perfectione plenam renunciaſſe. Imò admi-
ran-

randum est, subsistentiam illam infinitam, illam vitæ incommu-
tabilis subsistentiam, corpus mortuum & exanime vivacissimo
& felicissimo suo complexu fovisse. Et tandem maximè admi-
randum est, Christum in triduo mortis & sepulturæ corruptio-
nem non vidisse. *Psal. XVI, 9. 10. Act. II 31. & c. XIII, 37.*

§. 12. Hoc mysterium ut parag 2 jam præmonuimus, Ange-
lorum & Hominum captum excedit; nullus enim finitus intel-
lectus comprehendere potest, quomodo Corpus Christi verè fu-
erit mortuum; ac nihilominus in mediâ morte manserit Verbi,
omnia vivificantis, proprium templum personaliter illi unitum
Job. II, 19. Coloss. II, 9. Si negatur, inquit *Gerhard. l. cit.* animæ à
corpore in Christi morte facta solutio, negatur veritas mortis; si
negatur vel animæ, vel corporis cum λόγῳ in morte manens in-
divulsa conjunctio, negatur veritas unionis personalis. Sic igi-
gitur asserenda est solutio unionis essentialis, corpori & animæ
Christi invicem intercedens, ut simul asseratur perpetua duratio
unionis personalis, λόγῳ & animæ, itemq; λόγῳ & corpori Chri-
sti in ipsâ morte nexu indivulsò permanens. Interim certum
est illud *Theologorum oraculum*: Quàm verè DEUS HOMO est,
tàm verè DEUS MORTUUS est.

§. 13. De PRÆDICATO, & quidem quoad vocem τῷ PER-
MANSERIT observamus, hîc præsupponendam venire ab Incar-
nationis tempore perennem in *ὑπόστασις* ante mortem, in ipsâ
morte, & post mortem duarum Naturarum perichoristicam u-
nionem, de qua hætenus *in genere*, §. 2. monuimus. Hæc unio
quamdiu facta recta fuisse legitur, tàm diu Christus quoq; Θεὸς
& ἄνθρωπος, h. e. *Deus & verus Homo* mansisse creditur. Ut primum
autem, certò aliquò tempore, talis desisse ex Scripturâ sacrâ de-
monstraretur, tum non difficulter indulgendum foret, *Christum*
non mansisse Θεὸς & ἄνθρωπον, h. e. *Deum & verum Hominem*. Ast quòd
nunquam hæc duarum Naturarum in Christi ὑπόστασις desie-
rit, confirmamus sequentibus hisce argumentis.

§. 14. *Primum argumentum* petimus ab unionis hypostaticæ
ingenio: Nulla personalis subsistentia est extra, aut ultra suam si-
bi propriam naturam. Λόγῳ Hypostasis est personalis subsisten-
tia humanæ naturæ sibi propriæ, Ε. Λόγῳ Hypostasis nusquam est
extra

extra, aut ultra naturam humanam. Major est extra controver-
sam. Minor patet exinde: Si Hypostasis Filii Dei non potest esse
extra suam divinam Naturam, quæ propria illi est per æternam
generationem; neque esse potest extra humanam Naturam, quæ
propria illi est per unionem hypostaticam: Est igitur tam pro-
pria per *hanc*, quàm per *illam*.

§. 15. Secundum argumentum capimus à Patrum & Nostratiu
Theologorum testimoniò: Brevitatis ergo ex Patribus huic nego-
tio sufficiat Damascenus de Orthod. Fide l. 3. c. XXVII. p. 273. & seq.
Quamquam (Christus) mortuus est, ut Homo, & sancta ejus Anima
ab incontaminatò separata corpore; non tamen Divinitas ab u-
troq; separata remansit, ab Anima, inquam, & Corpore. Et neq;
sic una Hypostasis, in duas dissecta est Hypostases. Nam & tunc
Corpus & Anima, secundum idem à principio in verbi Hyposta-
si habebant existentiam, & ipsis in morte ab invicem separatis,
unumquodque eorum mansit, unam Verbi habens Hypostasin.
Quare una Verbi Hypostasis, & Verbi, & Animæ, & Corporis fuit
Hypostasis, nunquàm enim, neque anima, neq; corpus propriam
habuere Hypostasin, præter eam, quæ Verbi est Hypostasis. Una
enim semper Verbi Hypostasis, & nunquàm duæ: Quare una
semper Christi Hypostasis. Quo fit, ut etsi localiter Anima à
corpore separabatur; Hypostaticè tamen per verbum uniretur.
Ex Nostratis Theologis loco Omnium hodiè nobis adsint (1) Hun-
nius Tom. I. Oper. p. 362. Corpus, quod cum respectu & conditione
sepulchri triduo mortis tantùm fuit in terrâ, idem sine respectu
& conditione ullius loci tantùm fuit in sinu beatissimò, simplicissi-
mòq; amplexu Hypostaseos Filii Dei, secus Filius Dei fuisset in
Paradisò ἀσώματ. Et anima, quæ cum respectu & conditi-
one paradisi, tantùm tantum fuit in coelò, non in terrâ, eadem extra
conditionem, respectumq; loci fuit in sinu beatissimò, simplicif-
simòq; λόγῳ, ubiq; etiam in sepulchrò præsentissimi; secus λό-
γῳ in sepulchrò corpori unitus fuisset ἀψυχ. (2) Gerhardi
in Harm. Evang. de Pass. & c. c. XVII. p. m. 827. Acquiescamus in
illâ fidei simplicitate, quòd Christus verè fuerit mortuus, anima
scilicet à corpore soluta, ac quod nihilominus in mediâ morte
unio Personalis inter λόγον & carnem, atq; inter λόγον & ani-
mam

nam Christi permanferit, quod myfterium in hujus vitæ caligi-
ne non poterimus cogitatione, nedum verbis aflequi. Ut enim
paffio, ita quoque mors Chrifti non eft *nudi hominis*, vel humanæ
duntaxat Naturæ, fed *ipfius Filii Dei* mors ac paffio. (3) *Hutter. in*
Expl. Lib. Concord. Art. VIII. p. 965. In morte non facta eft diffolu-
tio unionis hypoftaticæ: quantumvis etiam corpus & anima
locis erant naturaliter feparata: Sed nihilominus & corpus &
animam, intra intimam fuam *ἑνωσίαν λόγου* & retinuit fibi præ-
fentiffimè. Nam naturalis illa Corporis in fepulchrò, Animæ
verò in paradifò exiftentia, non obftare potuit, quò minus per-
fonaliter utrumq; maneret in eò, in quod femel fuerunt affum-
pta, nempe in perfonâ *λόγου*. Ratio eft: Quia personalis exiften-
tia Corporis & Animæ Chrifti, non fertur ad locum vel fepulchri,
vel paradifi; fed ad *λόγον*, qui unitus eft, uti affumptionis, ita &
fubfiftentiæ illorum terminus. Unde adeò fit, ut & corpus, & a-
nima nihilominus intra *λόγον* permanferint, etiam *tempore mor-*
tis Chrifti, & viciffim, *λόγος* & univerfa fua impartibili *ὑποστάσει*
σωματικῆς in utroq; immanferit, & extra neutrum illorum un-
quam conftitutus fuerit. Quod qui negaverit, is concedat ne-
ceffe habet, *λόγον* tantum in fepulchrò carnem fibi personaliter
unitam habuiffe; in cæteris verò locis omnibus extra carnem
hanc extitiffe. Quò pacto unio hypoftatica *partim ad unicum lo-*
cum restringitur; *partim Nestoriana naturarum divulfio* in locis
coæteris neceffariò infertur: Quò utroq; paradoxò vix quicquam
abfurdius magisq; blasphemum dici, cogitari vè potèft. (4) *Dor-*
fcheus in Adm. Mortis Jefu Chrifti p. 371. Filius Dei nullibi fine
corpore, nullibi fine anima eft, & tamen verè in morte animam è
corpore emifit, relictoq; in fepulchrò corpore, animam ad pa-
radifi gaudia tranfmifit. Et p. 374. Non rectè mortis Jefu admi-
randa expendit, qui dicendum arbitratur hanc animæ à corpore
feparatione obftaculum fieri, quò minus in unâ indivifâ simpli-
ciffimâque fubfiftentiâ Filii æterni, anima cum corpore triduo
mortis fubfifterit. Cum tamen fanctiffimo Dei beneplacito u-
trumq; factum fuerit, ut & *localiter* in triduo mortis ab animâ Je-
fu fecluderetur corpus ejus, & *illocaliter* anima pariter atq; cor-
pus intimè in hypoftafi ipfò illò triduo mortis conjungerentur.

Ergo

Ergo si ad præsentiam unionis admoves fidei oculum, remove omnia locorum intervalla, sepone omnem creaturarum longitudinem, profunditatem, omnem in universum dimensionem & extensionem secerne, & in perfectissimâ, gloriosissimâq; substantiâ Filii Dei carnem nostram meditare.

§. 16. *Tertium argumentum* sumimus ab *absurditatum confluxio*. Absurditates autem illæ inferunt, vel ejusmodi personam, quæ (α) in aliquo π̄ Christus est, in infinitis spatiis Christus non est. Sic enim *Mentzer. in Elench. Sadeel. p. 283.* Christus est Deus & Homo in unitate personæ est mortuus secundum carnem, effudit sanguinem. Ille λόγος, & ille Christus, quatenus constituitur extra carnem, non est Deus & Homo in unitate personæ, sed tantum Deus; neq; potest dici mortuus, neq; effudit sanguinem. Idem erroris jam olim & vidit, & confessus est, *monente Meisnero Quæst. Vexat. II. th. 8. Lombard. l. 3. Sentent. Dist. 22. sequentibus verbis: Christus non ubicunq; erat, homo erat; nec modo ubicunq; est, homo est: quia ubiq; est secundum Deitatem; nec ubiq; homo, quia non ubiq; homini unitus: sed ubicunq; est secundum hominem, ibi homo est.* Ergo ille Christus, qui est extra carnem, non est Christus. (β) In aliquo π̄ adoratur, ut σὺν ἑτ̄, in infinitis, ut simplex. E. duplici adoratione. (γ) Aliquo in π̄ creaturis, e.g. *Paulo* in castris propior sit, quàm suæ carni. II. Unionem mutabilem, solubilem, variabilem, reparabilem, e.g. ut *Humanitas unita*, λόγος in olive-tô, ad aliam quasi partem λόγος provec̄ta fuerit, cum in cœlum ascendit *vid. D. Mentzer. Anti-Martin. p. 146. 329. 334.*

§ 17. Quod ad verba, VERUS HOMO: Hic paululum sistendo PRIMUM audiamus *Gerhardum*, qui de Christi Homine *Tom I. LL. p. 720. §. 67.* nobis sequentia inculcat: Per vocabulum HOMINIS non intelligitur HOMO UT SPECIES, sed intelligitur hic Homo, Mariæ Filius, etiamsi particula *θεοῦ* non semper expresse addatur. Et hoc ipsum non sine prægnanti ratione & veritatis fundamentò ille insignis *Theologus* constanter asseverare potuit: Quia enim Christus non ψιλάνθρωπος est, sed θεάνθρωπος, h. e. *Deus & Homo*, uti hætenus monitura fuit, HOMO hic (1) neutiquam *Species Logica*, ut quidam Doctores opinantur; multò minùs ad aliquam rem, secundum sub & supra dispo-

dispositum, *Classem Prædicamentalem* reducendus erit, (2) consideratur principaliter non secundum regulas Philosophorum, sed Spiritus Sancti, & quidem non extra, sed intra unionem duarum Naturarum personalem, ubi istæ duæ Naturæ, *ut docet Form. Concord. p. 762.* in Personâ Christi nunquam (*intelligas ab Incarnationis puncto neq; ante mortem, neq; in ipsâ morte, neq; post mortem ad hunc usq; diem*) vel separantur, vel confunduntur, vel altera in alteram mutatur, sed utraq; in suâ Natura & substantia seu essentia (in Personâ Christi) in omnem æternitatem permanet. Nil igitur obstat, quod intra *ὑπόστασιν*, non extra ipsam, corporis ab anima solutio facta fuerit.

§. 18. SECUNDO monemus cum *Damasc. l. 3. Orthod. Fidei c. 11. p. 205. & seq.* ad quem nec minus provocat *Gerhard. l. cit. humanam Naturam considerari trifariam*: (1) *ψιλῆ θεωρεῖα*, solâ cogitatione, quando secundum simplicem rationem ab omnibus separata, nuda & quasi per se sola consideratur, ubi nullum nisi in intellectu considerante locum habet. (2) *Ἐν τῷ εἶθει*, in Specie, quando eam in ipsis individuis pariter existentem, communi, singulisq; conveniente ratione contemplamur. (3) *Ἐν ἀτόμῳ*, in Individuo, quando eam, ut in unô existentem singulari cum proprietatibus Individualibus ab omnibus aliis illud fecernentibus consideramus. His positis, non primò, concludit Damascenus, non secundò, sed tertio sensu humanam Naturam à Filiò Dei assumptam fuisse; hoc tamen respectu, ut cum τὸ ἀτόμον humanæ Naturæ, sive massa illa animæ & corporis considerari possit *bifariam*, tum quatenus habet propriam ac peculiarem *ὑπερξεν*, sicut omnes in mundò singulares substantiæ; tum quatenus in aliò sustentatur & existit, Filius Dei non priore, sed posteriore modò *ἐν τῷ ἀτόμῳ* humanam Naturam assumpsisse propugnetur.

§. 19. Hinc TERTIO diligenter pensitandum est, *Veri Hominis θεανθρώπου* Naturam consistere non tantum naturaliter & certo respectu *Physicè* cum essentiali animæ & corporis unione sine propria Subsistentiâ in Christò, sed etiam personaliter & eminentiori modo *perichoristicè*, præter illam essentialem animæ & corporis unionem in *ὑπόστασει τῆς λόγῃ*, hoc est, in personali & immensâ Filii Dei Subsistentiâ, quæ nunquam fuit sublata, multò minus post-

posthac dissolvi poterit (plurima vide infra §. 28. respons. ad exception. primi argumenti.) Nam quemadmodum, ait Gerbard. Tom. 1. LL. Theol. p. 712. §. 48. propter mutuam *ἑξωθεν* Personarum in Divinis Pater non est extra Filium, nec Filius extra Patrem; ita propter mutuam *ἑξωθεν* duarum Naturarum in Filio, *λόγος* non est extra carnem, nec caro extra *λόγον*. Porro Christus in triduo Mortis non desinit esse VERUS HOMO, nisi prius demonstretur, Personam Christi, quæ post plenitudinem temporis in duabus naturis substitit, & adhuc subsistit, *per mortem* fuisse solutam. Atqui Persona Filii Dei, ut satis superq; indigitatum fuit §. 13. 14. 15. 16. in ipsa morte non desit esse, aliàs in nihilum redacta fuisset humana natura, quod Atheismus. Ergo Christus etiam in *triduo mortis* VERUS HOMO permansit, & sic consequenter Doctores quidam non habent, cur in *presenti mysterio* omnigenis principiis Physicis adhæreant, & ob istam tantum naturalem corporis ab animâ solutionem *Questionis partem Negativam* tam pertinaciter adstruant & propugnent. Nos interim Affirmativæ sententiæ animum intendentes, concludimus *hunc primum Articulum* cum *Ambrosii dicto* planè aureo: *Aufer argumenta, ubi fides queritur. In ipsis Gymnasiis suis jam Dialectica taceat; Piscatoribus creditur, non Dialecticis.*

ARTICULUS SECUNDUS.

Exhibens *Questionis declaratæ* cum prius positò *Controversiæ* statu per *Argumenta Confirmationem.*

Punct. I. *Ubi adequatus Controversiæ status.*

§. 20. Præmissis hisce de *Subjecto & Predicato* præcognitis, ad verum & genuinum *Controversiæ* progredimur Statum. Priusquam verò ad illum accedamus, monendum est, (1) quò sensu *Questionis Subjectum* hîc accipitur, eòdem quoq; sensu *Questionis Predicatum* à parte Dissidentium in arenam esse producendum; aliàs obscurum per æquè obscurum, incertum per æquè incertum eventilaretur. Hinc, *ut res sunt, ita debent enunciari, item,*

C

modo

modus dicendi sequitur modum essendi; ut & Prædicata intelligenda sunt secundum substratam materiam, & explicanda secundum conditionem Subjecti, de quo dicuntur. Verum quia CHRISTUS, tanquam Subjectum, est θεὸς ὁ ὢν & in una indivisa personâ, quæ, fatente Form. Concord. p. 763. ut sine divinitate suâ, ita etiam sine humanitate suâ non est integra Persona, sequitur, quod etiam HOMO, tanquam Prædicatum, non secundum naturam ψιλῶν θρώπων, sed θεῶν θρώπων, & quidem non modò ante mortem, & post mortem; sed etiam in ipsâ morte considerandus veniat. (2) Sicut propositiones personales sunt inusitatae, hoc est, nec ad modum prædicandi usitatum referendæ, nec ex regulis logicis dijudicandæ, ita hæc etiam quæstio: Licet enim ratione Formæ seu Dispositionis ad Logicam pertineat; attamen de illa quoad materiam ex solo verbo Dei revelato judicandum est. Ratio autem est hæc: Quia planè non congruunt ad communem ordinem naturæ & usum humanæ rationis. Igitur notatu maximè dignum est, quod Perquam-Reverend. Beat. Jacob. Martin. in Collegio Anti-Calviniano de Principio Fidei Disput. Nona §. XXII. ad evincendos pariter in hac controversia Dissidentes reliquit, loco exempli in arenam producens sequentem Propositionem: *Christus est homo.* Propositionem hanc examinaturi Calvinistæ arbitrantur, (inquit Martini) Prædicato isti *Homo*, nihil amplius competere vel tribui posse, quàm quod in communi natura ψιλῶν ἀνθρώπων: Ut igitur de ψιλῶν ἀνθρώπων non dici potest, quod sit omnipotens, in multis locis præsens, & sic per consequens post solutionem corporis ab anima verus homo; sic etiam illa ipsa de homine, ut prædicantur de Christo, affirmari non possunt. Sed sententia hæc (pergit Martini) nullo modo probanda est: Quandoquidem homo, ut de Christo prædicatur, ex communi hominum sorte & conditione exemptus, & super naturalem omnium aliorum hominum communem rationem & conditionem elevatus est, unam nimirum Personam cum ἀβύω constituens: quod de nullo homine, in communi humana sorte relicto, dici potest. Ergo etiam de illo credenda sunt ea & certò statuenda, quæ sacra Scriptura de ipso supernaturaliter affirmat. Nam hic Subjectum, *Christus*, determinat Prædicatum, nempe id non merè Physicè, sed etiam mysticè:

sticè:

dicè sumi. Nam quod Christus est homo, non est aliquid naturale, sed super omnem naturam summum mysterium. Quocirca, quando Dissidentes putant, se probare vel explicare veritatem nexûs terminorum in hac & simili controversia, obstruunt illa ipsa vel interpretatione vel probatione veritatem sententiarum, rerumq; à Spiritu S. in sacra scriptura disertis verbis patefactarum.

§ 21. Ideò non quæritur PRIMO, an Christus, qui aliàs non merè *Physicè* talis, & *ψιλάνθρωπος*, in propriâ subsistentiâ, sed *θεάνθρωπος*, Deus & Homo in unâ Persona, ante Passionem, à primò incarnationis punctò, fuerit & permanserit verus Homo? quod enim talis fuerit & permanserit, sequenti confirmatur Syllogismo: Cuicunq; verè & propriè competunt (1) Appellatio hominis. (2) Essentiales partes, anima rationalis & corpus. (3) Propria hominis *πάθος* & affectus. (4) Operationes & effectus, is fuit & permansit etiam ante passionem & mortem à primò incarnationis punctò, verus homo. Atqui Jesu Christo illa omnia verè & propriè attribuuntur in scripturis, E. Christus fuit, & permansit etiam ante passionem &c. verus Homo. Major est manifesta. Minor probatur per singula membra: (1) Jesus Christus disertè, verè & propriè appellatur Homo, *Luc. XXIII, 47. 1. Tim. II, 5. Caro. Job. I, 14. Filius Hominis, Dan. VII, 13. Matt. VIII, 20. XVI, 13. Act. VII, 56. Hebr. II, 16. Filius Abrahamæ, Matth. I, 1. Filius & fructus ventris Davidis, II. Sam. VII, 12. Ps. LXXXIX, 36. 37. & CXXXI, 11. Matt. I, 1. Luc. XX, 21. Act. XIII, 23. Rom. I, 9. II. Tim. II, 8. Leo de tribu Juda, radix David, Apoc. XXII, 16. Ex Patribus secundùm carnem, Rom. IX, 5. Filius Virginis Mariae & ex eâ genitus, Esa. VII, 14. Matt. I, 16. 20. 21. 23. 25. c. II, 11. 20. 21. c. XII, 46. Luc. I, 31. c. XI, 48. c. VIII, 20. Job. II, 3. c. XIX, 25. Act. I, 14. Gal. IV, 4. (2) Tribuuntur illi essentiales hominis partes, anima scilicet rationalis & corpus. De vivente, & vegetante atq; sentiente animâ seu facultate abundè tota testatur Christi Historia. Rationalem verò animam (contra Apollinari-*stas*) demonstrant dicta illa clarissima, *Matth. XX, 28. c. XXVI, 38. c. XXVII, 50. Luc. XXIII, 46. Job. X, 15. 17. 18. c. XII, 27. Act. II, 27. I. Job III, 16. Hinc Christo tribuitur Scientia, Intelligentia, Sapientia, Voluntas, electio &c. Esa. VII, 15. c. IX, 6. c. XI, 2. Luc. II, ult. v.**

Job. XIII, 18. c. V, 21. Unde etiam alios docet, revelans mysterium
 Evangelii *Job. I, 18. Matth. V. VI, VII. &c.* De Corpore humano
 passim extant testimonia. *Matth. XXVI, 26. c. XXVII, 58. Marc.
 XIV, 8. 22. c. XV, 43. Luc. XXII, 19. c. XXIII, 52. c. XXIV, 3, 23. Job. II,
 22. c. XIX, 38. c. XX, 12. I. Cor. XI, 24. Coloss. I, 22. I. Petr. II, 24.* De
 Carne testatur ipse Christus *Luc. XXIV, 39. Job. VI, 51. Rom. I, 3. c.
 IX, 5. Coloss. I, 22. I. Petr. IV, 1.* De Ossibus *Luc. XXIV, 39. Job. XIX,
 33-36. Ephes. V, 30.* De Sanguine *Matth. XXVI, 28. Job. VI, 54. c.
 XIX, 34. Act. XX, 28. Job. VI, 54. c. XIX, 34. Act. XX, 28. Rom. III, 25,
 c. V, 9. I. Job. I, 7. Ebr. II, 14. c. IX, 12. 14. c. X, 19, 30. &c.* Sic mentio
 fit manuum Christi, pedum, oculorum, oris, linguæ, &c. vide *A-
 poc. I, 14. 15. 16.* (3) Christo competunt propria hominis *πρόση* &
 affectus, tum quæ toti homini, h. e. composito conveniunt, tum
 quæ singulis partibus, h. e. animæ & corpori distinctè, contra *ἀφ-
 ἑαυτοδοκίμας*. Hinc dicitur profecisse sapientia & ætate *Luc. II,
 v. ult.* Grandior fuit in ætate virili, quàm puerili. Contristatus
 est, lachrymatus, & turbatus animâ, *Matth. XXVI, 28. Luc. XIX, 41.*
 Affectus ipsius varii (sine peccatô) passim describuntur: sitivit, e-
 surivit, defatigatus est, ambulavit de locô in locum. Summa:
 Quæcunq; de verâ animâ humanâ, & de verô corpore humano
 & de totô homine *per se & essentialiter* prædicantur, ea quoque
 dici de Christo verè possunt & debent. Dico *per se & essentialiter*,
 ut removeamus (1) conceptum *animalis*, quem de *θεωρεώπω* e-
 nunciari posse nemo Christianorum hodiè putaverit. (2) *Infir-
 mitates*, quas sponte quidem Christus ad tempus assumpsit, ut pa-
 ti & mori posset; nunc autem deposuit in statu gloriæ: Item, ut
 excipiam *peccatum*, quod in Christo nullum fuit. *Esa. LIII, 9. I.
 Petr. II, 22. Hebr. VII, 26.* Est igitur Christus *ὁμοεισ* nobis se-
 cundùm carnem; & hinc discipulos suos vocat Fratres, *Job. XX,
 17. Ebr. II, 12. ex Ps. XXII, 23. &c.* Quare Christus habet proprie-
 tates humanæ naturæ *Essentiales*, easq; retinet in æternum. *Acci-
 dentales* (exceptô semper peccatô) habuit in statu *Exinanitionis*,
 quas deposuit in statu gloriæ, factus Dominus super omnia in
 cælô & in terrâ. (4) Christo tribuuntur hominis operationes &
 effecta, tum in corpore, tum in animâ, tum in totô compositô:
 Nam in statu *Exinanitionis*, intelligit, vult, eligit, loquitur, docet,
 edit,

edit, bibit, adit, abit, fatigatur, quiescit, patitur, moritur. In statu gloriæ actu intelligit, actu vult, loquitur, conversatur in cœlis cum beatis angelis, & hominibus, rediturus ad iudicium. &c. Ergo Jesus Christus fuit & permansit verus homo etiam ante passionem & mortem à primò incarnationis puncto.

§. 22. Nec SECUNDO quæritur, num Christus in ipsâ passione fuerit & permanserit verus homo? Nam de hâc re minime esse dubitandum, subsequens confirmat Syllogismus: Quicumque in passionibus suis, earum dolores intimè sentit, ita ut de iis conqueratur, & undiquaque tristis sit, ille etiam in ipsis mediis passionibus est, & permanet verus homo. Atqui Christus est talis. Ergo. Major liquet. Minorem stabiliunt (1) *Scripturæ Sacræ perspicuitas*. *Esa. LIII, 4*. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Quæ portatio non fuit nuda, nec expers sensationis: sed laboriosa, dolorosa, & onerola. *Esa. LVIII, 54*. & *c. L, 6. 7*. & *c. LIII, 5*. (2) *Peccatorum nostrorum in Christum conectorum veritas*, ut *Esa. LIII, 6*. Fingè ergò, Christum non sensisse passiones, & dolores; & sequitur, non verè ipsum in se coniecta & derivata habuisse nostra peccata; quippe pro quibus non potuit fieri satisfactio, nisi verè patiendò & sustinendò, & proinde sentiendò pœnas, illis debitas. (3) *Christi passionis & mortis ipsius ab Evangelistis verè & probè concinnata infallibilitas*, quippe qui testantur, Christum fuisse in ἀγωνία, & ejusdem sudorem fuisse sicut guttas sanguinis, decurrentes in terram, *Luc. XXII, 44*. Animam ejus fuisse turbatam, *Job. XII, 27*. Ipsumq; sic cœpisse ἀνυπερβείδαι, & ἀνημνεῖν, *Matth. XXVI, 37*. & ἐν ἰαμβείδαι, *Marc. XIV, 33*. ut anima ejus (reverâ) fuerit non nudè tristis, sed ἐπιλυπηθῆ, h. e. undiquaq; tristis, *Matth. XXVI, 38*. & *Marc. XIV, 34*. proindeque Patrem suum rogârit, ut, si possibile esset, calix iste (Passionis & mortis) à se transiret, *Matth. XXVI, 39*. Ito jam & dicito, Christum non sensisse dolores, & consequenter non permansisse verum hominem, profectò claritate horum dictorum confundêris.

§. 23. Nec TERTIO quæritur, an Christus post resurrectionem suam fuerit & adhuc in omnem eternitatem permanserit verus Homo?

mo? De hac questione nec pariter nos esse debere ancipites, suadet totum Christi meritum; inò omnia Christi Θεανθρώπων, Dei & Hominis, beneficia, quibus ab ineunte ætate perfructi sumus, & adhuc ex gratiâ perfruimus. Nec QVARTO quæritur, *utrum solutio & disruptio vinculi personalis ullò modo in triduo mortis Christi facta sit?* Siquidem ut unio Personalis ἀδιασπαστος, sine intervallò & distantia, facta est; ita etiam ὁ λόγος ἀδιασπαστος sibi suam carnem, omnibus & universis creaturis præsentissimè præsentem, etiam in infimò & profundissimò Exinanitionis statu habuit, à quò ne ad momentum quidem vel punctistitium temporis separari potuit.

§. 24. Nec QVINTO quæri debet: *An Christus in triduo mortis & sepulturae verus, essentialiter perfectus, & univocè dictus homo fuerit, diciq; potuerit?* Statum controversiæ etsi Dissidentes, pro suo arbitrio & auctoritate, ita ponant, non tamen in solidum ille quoad phrasin loquendi istam (*univocè dictus*) comprobari potest. Ratio enim est hæc: Quia Θεάνθρωπος est extra Prædicamentum substantiæ, & ob hanc rem de Christo neutiquam dici potest, quod *univocè dictus* homo sit; sed potius adstruendum, quod *infitatè* & maximè *eminenti modo* Talis sit. Quæ is verò modus, illum scriptura tradit: Quippe Θεάνθρωπος, Deus & Homo, natus est ex Maria Virgine adumbratione Spiritus Sancti sine virili semine, sine subsistentia humana, sine peccato; & quæ similis generis plura sunt, quæ de nudo homine nunquam enunciari queunt. Argumentamur itaq;: Quicquid est extra Prædicamentum aliquod, illud nulla ratione cadere potest sub aliquam communem alicujus rei naturam, quæ in ipso Prædicamento continetur, multò minus de eo dici poterit, quod *univocè tale, vel tale sit*. Atqui Θεάνθρωπος, Deus & Homo, est extra Prædicamentum Substantiæ. Ergo Θεάνθρωπος, Deus & Homo, non cadit sub *communem* hominis simplicis naturam, quæ in Prædicamento Substantiæ continetur, multò minus de Θεάνθρωπο dici poterit, quod secundum principia Logica *univocè talis* homo sit, vel ante mortem, vel in ipsa morte, vel post mortem. Quod ad probationem *Majoris*, sciendum est, materiam Prædicationis, h. e. res ad prædicandum aptas esse triplici ratione;

Quæ.

Quaedam sunt supra Prædicamenta, & hæ res dicuntur entia transcendentia, quæ excedunt & supereminent omnibus rerum Prædicamentaliū generibus: Talia autem Transcendentia sunt (1) Termini communissimi Metaphysici. (2) Res divinæ, & conceptus mystici de Deo, (sub quibus etiam conceptus θεοῦ & πρὸς comprehenditur) ejusq; operibus. *Quaedam* sunt infra Prædicamenta, quæ ob exilitatem suam ad classes Prædicamentaliū rerum non referuntur. *Quaedam* sunt intra Prædicamenta, & hæ res sunt entia realia, quæ vel *Genera* sunt, vel *Species*, vel *Differentia*: Hæc sola de sese invicem univocè predicari asseruntur; nec ea, quæ supra, aut infra Prædicamenta concipimus. Quod ad *Minorem*, probò illam exinde, quia θεοῦ & πρὸς cadit sub conceptum mysticum, qui è Cancellis Prædicamentorum prorsus excluditur. Deinde ingens discrimen est inter θεοῦ & πρὸς Deum & verum hominem eminentiori modo talem, & verum hominem univocè dictum. De illo loquitur sola Scriptura, & quidem sine communi simplicis hominis conceptu sub Prædicamento Substantiæ. De hoc Physica cum communi simplicis hominis natura sub tabula Prædicamentali substantiæ. Deinde, quia neutra Natura ab altera (nisi ratione) potest separari, nobis pariter non licitum erit ex conceptu θεοῦ & πρὸς Dei & veri Hominis in Christo, conceptum aliquem communem, à Subsistentia τῆς θεοῦ & πρὸς abstractum, excogitare, qui de Christo univocè dicendus foret; aliàs Principia Theologica in universum convenirent cum principiis Philosophicis, id quod absurdissimum. Huc referas § 17. 18. 20. 23.

§. 25. Sed SEXTO quæritur, *an Christus*, (qui ratione unionis Personalis, ante mortem, in ipsa morte & post mortem θεοῦ & πρὸς, Deus & Homo, ita ut nunquam facta fuerit Naturarum, per locorum intervalla separatio) *etiam in triduanâ morte* (qua quidem corpus & Anima à se invicem verè & realiter dissoluta & separata, ita ut localiter Corpus in sepulchrò & Anima definitivè in Paradiso; at nihilominus ambo illocaliter in *ἑνωσὶ* ei semper unita, nec unquam ab eâ separata fuerunt.) *Secundum sacræ Scripturæ sensum verus, essentialiter perfectus, & ita maximè eminenti modo dictus Homo permanserit?* In hæc ultimâ Controversiæ

veritatis statum positione quicumque partem Negativam amplectuntur, ut plurimum argumenta, puris puris principiis Physicis superstructa, in medium proferunt, & undiquaque urgent; cum tamen neminem fugiat, ut passionem, ita quoque mortem Christi non esse *NUDI HOMINIS* vel *HUMANÆ* duntaxat *NATURÆ* in distincta quadam persona, sed ipsius Filii Dei mortem ac passionem in unam indivisam personam Θεανθρώπου, h. e. Dei pariter & Hominis. Nos partem Affirmativam cum Lutero, Form. Concord. Andr. Osiandro, Winckelmanno, Mentzero, Gesnero, Fewerbornio, Lysero, Dorscheo, Danhauero, cæterisque plurimis insignis famæ & de Ecclesia longè meritissimis Theologis suscipientes, eam quoque pro re nata firmissimis, solidissimisque fundamentis & fulcimentis jam confirmabimus.

Punctum II. *Ubi Questionis per argumenta Confirmatio.*

§. 26. Fundamenta, quibus assertæ Quæstionis veritas in universum superstruitur, nobis subministrant *PRIMUM* *Questionis jam Prælibatæ*: Ubi argumentamur I. Quicumque in morte est Θεάνθρωπος, verus nempe Deus, idemque verus Homo in unam ὑπόστασιν subsistens, adeo ut ejusdem distinctæ Naturæ in omnem æternitatem unitæ permaneant, ille etiam in morte suâ permanet verus Homo. Atqui Christus est talis. Ergo. *Minorem* si quis negat (1) Christum facit Ψιλάνθρωπον, cujus morte datâ, totum suppositum tollitur. (2) Dissolvit Naturarum unionem personalem, quâ concessa, Christus in ipsa morte non est totus, sed dimidiatus Christus. (3) animam & corpus personali subsistentia spoliât. Quæ omnia cum sint ἀτόμα & ἀσώφα, invicta manet Conclusio. *Major* probatur ex Articulô præcedenti, & præprimis ex §. 13. 14. 15 17. 18. 19. & 25. respons. ad argum. 2. II. Cujuscunque Hominis morte ejusdem hypostasis & subsistentia non tollitur, ille in ipsa morte verus homo permanet. Atqui Christi Θεανθρώπου morte non tollitur ejusdem ὑπόστασις & subsistentia, non obstante isto, factam fuisse in ὑπόστασις solutionem naturalem. Ergo Christus in ipsâ morte verus homo permanet. *Major* est manifesta: Nam subsistentia hominis, cujus partes constitutivæ in unione sunt corpus & ani.

anima, quàm diu Physicè durat & subsistit, tam diu ejusdem Esse completum non desinit. *Minorem* probo ex §. 11. 12. ubi orthodoxè confitemur, mortem Christi non esse $\psi\lambda\alpha\nu\theta\rho\acute{\omega}\pi\epsilon\varsigma$ & merè naturalem, qua data, perit subsistentia hominis & corpus fit cadaver, sed $\Theta\epsilon\alpha\nu\delta\rho\acute{\omega}\pi\epsilon\varsigma$ & miraculosam, vid. §. 11. quâ positâ, $\psi\omega\acute{\rho}\epsilon\sigma\iota\varsigma$, seu Persona Filii Dei & Hominis nihilominus remanet, licet intra $\acute{\upsilon}\pi\acute{\omicron}\sigma\tau\omega\sigma\iota\nu$ unio corporis & animæ naturalis, ejusdemq; operatio vitalis per mortem ad tempus exiguum soluta fuerit. Nam sicut Christi humana natura (*corpus & anima*) ante mortem non habuit propriam & naturalem subsistentiam, sed subsistit in infinita hypostasi, ut edoctum fuit prolixè §. 13. & seqq. nec non §. 19. Ita etiam Christi humana natura (*Corpus & Anima*) in triduo mortis non agnoscit proprium & naturalem subsistendi actum, sed personalem solummodò, qui dum in infinitâ $\psi\omega\acute{\rho}\epsilon\sigma\iota\varsigma$ infinitus est, Corpus & Anima Christi tanquàm veri hominis partes essentialis, in infinitâ hâc $\psi\omega\acute{\rho}\epsilon\sigma\iota\varsigma$ nunquam sejungi potuerunt, sed in infinitâ $\psi\omega\acute{\rho}\epsilon\sigma\iota\varsigma$ λόγῳ manserunt conjunctissima: Et sic per consequentiam Christus in triduo mortis verus homo permansit.

§. 27. SECUNDO *Sacri Codicis Oracula*, ubi argumentum I. De quocunq; enunciatur à Spiritu Sanctò, quod in morte suâ sit verus hominis filius, ille etiam in suâ morte est & permanet verus homo. Atqui de Christo enunciatur à Spiritu Sanctò, quod in triduo mortis sit verus Hominis Filius, E. Christus in triduo mortis est & permanet verus Homo. *Major* satis clara est & perspicua: Nam per verum Hominis Filium in universâ S. Scriptura notatur, & indicatur verus homo. Quoties igitur mentio fit veri hominis Filii, toties est ille verus Homo. *Minorem* confirmes ex *Matth. XII, 40.* II. Qualem Spiritus Sanctus aliquem in morte nuncupat, talis quoq; in suâ morte est & permanet. Atqui Christum Spiritus Sanctus in triduo mortis nuncupat $\alpha\lambda\eta\theta\acute{\omega}\varsigma$ τὸν ἄνθρωπον, i. e. verè Hominem. E. Christus quoq; in triduo mortis est, & permanet verus homo. *Major* non indigebit fulcimentò: Nam oracula Spiritus Sancti in mysteriis cum perpetuâ fidei simplicitate secundùm literam, non secundùm ullas humanæ rationis glossas sunt examinanda. *Minor* probatur ex *Marc. XV, 38. Luc. XXIII, 47.*

D

ubi

ubi Christus mortuus dicitur verè Homo. Ad hæc effata Spiritus
Sancti si quispiam cum *Dissentientibus* excipere velit, Christum
mortuum in citatis dictis nuncupari *Hominem, & Filium Hominis,*
non à termino & tempore præsentis, sed prægresso & præterito,
h. e. indicari, non quod is ipsâ morte verus homo manserit, sed
quod ante mortem, in vitâ sua verus homo fuerit. Illi responden-
do obviam imus: Nunquam scilicet prius à litera verbi divini disce-
dendum esse, quam si Spiritus S. istum discessum nobis præcipiat.
Secus tota S. Sacra nobis redderetur incerta. At Spiritus S. hic nobis
istum discessum non præcipit, sed interdicit, utpote *unò & eodem*
perpetuò tenore repetens, *Filium hominis* esse proditum, esse in ma-
nus hominum traditum, esse illusum, esse contumeliis affectum,
esse consputum, esse flagellatum, esse crucifixum, esse occisum, es-
se sepultum, esse tertîâ die resuscitatum &c. Quæ & similia præ-
dicata Spiritus Sancti, inquit *Fewerborn. part. 3. Dissert. 10. p. 778.* uni
huic subjecto, *Filio Hominis,* absque discessu à literâ constantè
& pariformiter tribuit, *Matth. XVII, 9. 22. 23. & c. XX, 18. 19. & c.*
XXVI, 2. 24. 45. Luc. IX, 22. 44. & c. XVIII, 31. 32. 33. & passim. Quod
si autem iste a literâ Spiritus Sancti abitus, in nostro liberò arbi-
trio positus esset, tum & in sequenti argumentò quò demonstra-
tur, Christi mortui animam & carnem fuisse & mansisse verè hu-
manam animam, & verè humanam carnem,) quis posset ab illâ
literâ recedere, ac dicere, quod Christi mortui animâ humana &
corpus humanum ita nuncupentur, non quia talia triduo mortis
manserint, sed quia talia antè in vitâ Christi fuerint. At hæc glos-
sa ut pugnat cum litera Spiritus Sancti, ita vana est, & neutiquam
admittenda. III. Si Spiritus Sanctus testatur, quod Christi mortui
anima & caro fuerit & permanserit verè humana anima, & verè
humana caro, sequitur, quod Christus in triduo mortis fuerit &
permanserit verus homo aliàs sequerentur hæc (1) animam fuisse
nudi hominis animam, & consequenter *Verum exutam.* (2)
Corpus Christi in sepulchro fuisse non carnem, sed cadaver, quod
horrendum. Atqui prius est verum, E. & posterius. Connexio
Majoris probatur ex *Pf XVI, 9. 10. & Act. II, 31.* ne cogitando dicta,
Matth. XXVII, 57. & 58. Luc. XXIII, 52. Hinc inferimus: Quicumq;
in suâ morte habet verè humanam animam, & verè humanam
carnem.

carnem, ille licet non naturali, attamen personali unione in morte verus homo permanet. Atqui Christus est talis. Ergo. IV. Omnis Sacerdos est verus homo. Sed Christus triduo mortis fuit Sacerdos. E. Christus triduo mortis fuit verus homo. *Major* est extra controversiam: Nemo enim mortalium reverà Sacerdos esse potest, nisi verus homo sit. *Minorem* probo ex *Pf. CX, 4. Ebr. V, 6. & c. VII, 17.* ubi dicitur de Christò, quod sit Sacerdos in æternum. Ad evincendum hoc argumentum quamvis *Dissentientes* excipiant distinguendo *Majorem* ratione status ordinarii seu perpetui, & extraordinarii seu temporarii; attamen valdè insufficientis est responsio: Nam Sacerdos aliquis, sive sit statu ordinariò talis, sive extraordinario, quàm diu officium Sacerdotale præstat, tam diu quoq; verus homo (ut ita loquar) singularizatus permanet & nuncupandus venit. Ratio est, quia nomina officii, ejusdemq; functiones non *Nature* sine supposito competunt, sed *Personæ* & toti supposito, quò simul includitur *Natura*. Deinde status ipse duplex introducit non tam distinctam rem, quàm distinctum ipsius rei modum. E. omnis sacerdos est verus homo. Jam si de labamur ad *Minorem*, (1) illam libenter concedimus, Christum sc. in triduo mortis fuisse Sacerdotem constitutum in statu extraordinario, hoc est, profundissimæ exinanitionis; at interim non sequitur: Ergo Christus in triduo non fuit verus Homo. (2) Dicimus, quod fuerit Sacerdos extraordinarius non tantùm in triduo mortis, sed etiam ante, & adhuc post triduum mortis. (3) Novimus, quod ex indole tertii communicationis idiomatù generis nomina Officii, quale est Sacerdotale, Christo in *ὁμοσύνῃ* convenient secundùm utramq; Naturam, h. e. non tantùm secundùm Humanitatem, sed simul quoad Divinitatem. Hoc pariter approbans ille Theologus, suâ responsione se ipsum convincit, & fateri cogitur, quod Christus cum Sacerdos sit in æternum secundùm utramq; Naturam, etiam in triduo mortis verus homo manserit; secus humana Natura triduo mortis cum Divinâ in Christo non unita substitisset, id quod hæreticissimum.

§. 28. TERTIO. *Rationum Fulcimenta*: Ubi concludimus I. Omne habens humanam Naturam est homo. Sed Christus in triduo erat habens humanam Naturam. E. Christus in triduo erat

Homo. De *Majore* nemo Eruditorum dubitavit. *Minor* est evidens, aliàs humana natura separata fuisset à τῷ λόγῳ, id quod simplicissimè falsum & blasphemum. Ad *Majorem* licet nonnemo à *Dissentienti parte* excipiat per distinctionem inter humanam naturam, consideratam vel secundum principia constituentia corpus & animam; vel secundum esse suum completum, quod præsupponit naturalem illorum constituentium unionem; ita ut quoad *priorem* distinctionis partem *Major* sit falsa, quoad *posterio-*
riorem vera; *Minor* autem quoad *priorem* sit vera, quoad *posterio-*
riorem falsa. Attamen exceptio ista est futilis & parvi momenti: Nam disputamus hîc de Homine non ψιλανθρώπῳ, sed Θεάνθρώπῳ, quod ad illum, concedimus, distinctionem locum habere posse, quod ad hunc, negamus. Ratio autem negandi est, quia Humanitas licet ex concessione Christo θεανθρώπῳ in causis vel principiis constituentibus nunquam derogari queat, nihilominus etiam secundum esse suum completum ipsi Christo θεανθρώπῳ convenit: Nam esse completum hominis θεανθρώπου multum distat ab Esse completò ψιλανθρώπου. Quippe hujus Esse completum consistit in unione naturali cum propriâ substantiâ quâ datâ, per unionem illam verus homo representatur, quâ sublata, per solutionem desinit verus homo. Illius Esse completum subsistit non tantum in unione Physicâ sine propriâ substantiâ cum unione personali in Christo, ut ante triduum mortis, sed etiam extra unionem ipsam Physicam *principaliter* in unione personali cum ὑποστάσει τῷ λόγῳ, quæ nunquam fuit soluta & sublata. Hæc substantia in communionem duarum Naturarum quândiu substitisse, & adhuc subsistere creditur, tamdiu Christus quoq; verus Homo non univoce, sed maximè eminenti modo talis permanet. Atqui in triduo mortis ex confessione verè orthodoxâ unio personalis cum communionem duarum Naturarum non desit. Ergo Christus θεάνθρώπος in triduo mortis verus Homo permansit. Confirmamus itaq; *Majorem*: Omne habens humanam Naturam unione sive naturali, sive personali seorsim, sive utroq; modò conjunctim, ille est verus Homo. Sed Christus in triduo mortis erat habens humanam naturam unione, non quidem naturali (per quam ultimus quasi Exinanitionis

status

status consummabatur, *salvâ ὑπόστασι τῆ λόγῃ*,) sed personali.
Ergo Christus in triduo mortis verus homo permansit. *Major*
stabilitur subsistentiâ, quâ terminatur completum veri Hominis
Esse. *Minor* à nemine verè orthodoxorum impugnatur. II. Qui-
cunq; habet animam & corpus, unita in una ὑπόστασι, ille est
verus homo. Sed Christus tempore mortis habuit animam &
corpus, unita in una ὑπόστασι. Ergo Christus tempore mortis
verus homo fuit. Probatione opus erit neq; *Major*, neq; *Minor*;
siquidem utriusq; veritas ex dictis innotescit. Verum quod
concernit nonneminem à parte Dissidentium Theologorum,
censet, *Majorem* non esse universaliter veram, sed falsam ob am-
biguitatem Phrasew (uniri in ὑπόστασι). Talis unio, inquit, vel
est *Physica*, quæ conjunctionem animæ, corporisq; naturalem si-
mul involvit, & qua mediante, persona creata exurgit & consti-
tuitur ex ipsis, anima & corpore unitis; vel est *Hyperphysica*, qua
corpus & anima etiam separata, ununtur in persona non creata,
& ab ipsis non constituta, sed in ὑπόστασι increata & subsistenti-
am largiente. *Prior* unio, ait, facit hominem: *posterior* non facit.
Corpus autem & anima tempore mortis fuere in una ὑπόστασι
non *φυσικῶς*, sed *ὑπερφυσικῶς*, non in persona creata, & ab ipsis
constituta, sed in increata & aliena; non inter se unita naturaliter
sed separata: Ideoq; hominem tum temporis non constituerunt.
Hanc exceptionem ad *Majorem* non difficulter solvi posse, quivis
animadvertit. Loquitur enim ille Theologus unicè de *ψιλανθρώπῳ*,
non autem de *θεανθρώπῳ*: cum quò longè aliter comparatum
est: Ideò Natura veri hominis *θεανθρώπῳ* non tantum in unio-
ne *Physica* consistit, sed etiam extra illam, & quidem *principaliter*
in unione *hyperphysica*, cujus mentionem *ſ.* præsentis in respons.
ad *i.* argum. satis superq; fecimus. Attamen laudanda est de unio-
ne hypostatica ejusdem Dissidentis Theologi subsequens con-
fessio, quam statim suæ solutioni (jam à nobis refutata, & pro-
priis suis verbis adhuc evincendæ) annectit: Hic quasi per tran-
sennam magnum aspiciamus mysterium, quod nulla mens huma-
na capere & explicare potest. Christus erat verè mortuus, ideoq;
ubi erat corpus, ibi non erat anima ob factam separationem na-
turalem. Et nihilominus hæc duo, quorum unum ab alterò dista-

bat physicè & loco, non distabant ab invicem hyperphysicè & in
 λόγῳ, quippe cujus ὑπόστασις infinita, illocalis, impartibilis, in-
 distans est. Ne reputes animam Christi in coelis existentem sub-
 stitisse tantum in aliqua ὑπόστασις λόγῳ parte, & corpus, in se-
 pulchro jacens, substitisse in alia ὑπόστασις parte. Indivisibilis,
 una, simplicissima est persona, in qua tota subsistit anima, paradi-
 sum incolens, & in tota subsistit corpus, sepulchro inclusum; un-
 de sequitur, Animam & Corpus in λόγῳ indivisò simul fuisse
 personaliter indivulsa, & sibi invicem presentissima, licet natura-
 liter & quoad loca divisa fuerint separata & invicem maximè ab-
 sentia. Probè hoc mysterium Sophistæ Calvinistici considerent,
 ut tandem discant, *alium* esse modum presentiae naturalis, *alium*
 personalis, & rem unam diversò respectu, modoq; posse, tum al-
 teri verè adesse, tum ab eadem verè, & sine ἀντιφάσει abesse. Ex-
 erceant sese in solvendo hoc argumento: Quaecunq; in λόγῳ
 simplicissimo indistante sunt unita, illa in isto tertio, in quo uni-
 untur & subsistunt, sibi invicem sunt presentissima. Sed anima
 Christi in coelis, & corpus Christi in sepulchro, quæ naturaliter
 & locis distabant maximè, in λόγῳ simplicissimo indistante erant
 unita. E. anima Christi in coelis, & corpus Christi in terris, quæ
 naturaliter & locis distabant maximè sibi invicem (nempe per-
 sonaliter & in ὑπόστασις ἃ λόγῳ) erant presentissima. Ideo *Theo-*
logus ille insignis ob unionem personalem, quam nobiscum or-
 thodoxam pronunciat, asseverare quasi cogitur, Christum in tri-
 duo mortis verum hominem permanisse.

§. 29. QUARTO Patrum, & Lutheri, nec non Formula Concord.
 ac reliquorum consentientium γινώσκῳ orthodoxæ Ecclesie Docto-
 rum Enunciata: ubi argumentamur I. cum Patribus, & quidem in
 genere. Quod λόγῳ assumptis, nunquam deposuit. Sed λόγῳ
 assumptis humanam naturam. E. eam in morte non deposuit, & per
 consequens verus Homo permansit. Major est Canon & Regula
 Patrum. Minor est satis manifesta. Ad Majorem hujus Argumenti
 quamvis Dissidentes excipiant, istam intelligendam esse (α) cum
 exceptione tridui mortis. (β) De tempore mortem insecuto; neutra
 tamen instantia aliquid firmi importat: Nam exceptio tri-
 duanæ mortis & tempus demum post mortem sunt quorundam

Dissen-

Dissentientium falsa hypotheses, quas si pariter fovissent Patres, non uno ore affirmassent: Post factam incarnationem neq; Personam τὸ λόγος extra carnem, neq; carnem extra Personam τὸ λόγος credendam esse. Porro etsi ab istis *Dissentientibus* urgeatur, *Majorem* posse intelligi vel de partibus, vel de completo esse hominis: Et si de *partibus*, nimirum anima & corpore, concedunt illam absolutè, sin de completo esse hominis, restringunt eam, & triduum mortis excipiunt. At nihilominus responderi poterit, nec hoc in loco valere præsentem Distinctionem: Etenim testantur hoc, tum hætenus de distinctione commemorata, tum ex iisdem *Dissentientibus* unius propria verba, quæ recensere operæ pretium erit. Licet enim, *inquit*, Dei Filius non manserit homo in morte, haud tamen propterea deposuit, vel extra suam ὑπόστασιν dimisit partes hominis, corpus & animam. Nam distinguere debet inter unionem naturalem & personalem. Per illam unita sunt anima & corpus ad constituendum verum hominem; per hanc unita sunt λόγος & humanitas ad constituendum unum Christum. In morte autem facta quidem fuit separatio animæ à corpore, adeoq; rupta est unio naturalis, ut Christus tum non fuerit homo verus: Haud tamen facta est separatio λόγος, animæ & corporis. Ideoq; soluta non est unio personalis: sed anima & corpus Christi, tempore mortis, quanquam erant ab invicem separata naturaliter, manserunt tamen λόγος penitissimè unita personaliter & per nullam aliam, quam per ipsius ὑπόστασιν illo etiam brevi temporis spatio substituerunt, ut hinc non sit opus concedere, vel Christum mansisse verum hominem in morte; vel assumptas hominis partes esse ad tempus depositas. Neutrum enim asserendum, sed Christus verè est mortuus, ideoque non mansit homo *univocè dictus*; & tamen non deposuit semel assumptum, quia corpus & animam in illa etiam naturali separatione sibi λόγος habuit intimè unita & præsentissima. Ex his omnibus quis, quæso, non animadvertat, hæc disputari partim de nudo homine cum propria subsistentia; partim ex propria hypothesis falsissima, qua Christo verè mortuo, ob solutionem tantùm naturalem, conceptum *veri hominis* non attribui posse docetur. Cùm tamen frequenter indigitatum sit, quod (α) Christus non ψιλανθρώπος

ΘεωπⓄ sit, sed ΘεωπⓄ in UNA ὑπόστασει, quæ quamdiu
substititue creditur, tamdiu quoq; Christus permanet ΘεωπⓄ,
πⓄ, & sic consequenter verus Homo. (β) Mors non oppona-
tur permanenti hominis veritati, sed vitæ naturali, quæ per mor-
tem ad tempus in ὑπόστασει τῆς λόγῃ soluta fuit. (γ) Unio per-
sonalis inter humanam & divinam Naturam in Christo, ex con-
cessione, non fuerit dissoluta, quæ profecto præferenda unioni
Naturali; & inde non injuriâ foret concludendum: *Apotiori sic
denominatio.* Quo modo autem unio naturalis in subsistentia τῆς
λόγῃ dissolvi potuit, salva manente ejusdem unione personali
cum ὑπόστασει, nos planè ignoramus. Ideò *mira hæc sunt, & longè
supra omnem creaturarum captum posita.*

§. 30. In specie cum Augustinô, (1) lib. 1. de Trin. c. 13. sic docente:
Talis erat illa susceptio, quæ Deum Hominem faceret, & homi-
nem Deum. Unde sic colligitur: Aut susceptio illa duravit in
morte, aut desit. Si duravit, tunc utiq; verus homo fuit, si desit,
λόγῃ non amplius fuit incarnatus, id quod maximè blasphe-
mum. Ergo duravit illa susceptio, & per consequens Christus in
triduo mortis verus homo permansit. Hoc argumentum *Dissen-
tientes* ut primùm pariter labefactare conantur, rursus solutionem
naturalem urgent: susceptio humanitatis, *inquit non nemo*, nihil
fuit aliud, quàm animæ & carnis unitorum in ὑπόστασει λόγῃ re-
ceptio. Jam in morte soluta quidem fuit unio naturalis animæ &
corporis; mansit autem unio personalis λόγῃ cum utroq;, quam
ob causam susceptio illa in morte non desit, quia corpus & ani-
ma extra ὑπόστασει λόγῃ divisa non sunt. Quoad ipsam suscepti-
onem & unionem personalem nulla facta est variatio; sed tantùm
quoad rem susceptam & unitam, nempe corpus & animam, quæ
conjuncta primùm sunt suscepta; sed per mortem fuere iterum
disjuncta; sic tamen, ut in illâ ὑπόστασει, in quam semel fuere su-
scepta, semper substiterint. Proinde negamus consequentiam
prioris membri: *Si susceptio duravit in morte, Deus in morte fuit
homo.* Nam ad hoc, ut Deus sit homo, non sufficit animæ ac cor-
poris susceptio, sed requiritur simul utriusq; unio naturalis, quæ
cum in morte desierit, utiq; Filius Dei tum temporis verus Homo
non permansit. Ex responsione hæc ad allatum argumentum quis
iterum

iterum non sentiat: (α) ad evincendam eam huc benè referri posse, quæ circa antecedens argumentum monuimus? (β) Negamus quoad rem susceptam, nempe animam & corpus, in triduo mortis ullam factam fuisse variationem: Nam corpus & anima in ὑποστάσει τῆς λόγῃ ratione essentiæ idem mansit corpus, eadem mansit anima, qualia fuêrunt ante mortem. Propterea veritati & orthodoxiæ magis consentaneum est, quando dicimus, diversos rei susceptæ in existendo modos extra & intra triduum mortis occurrisse. Quippe ante triduum mortis extitit humana Natura cum unione, tum naturali, tum personali in ὑποστάσει τῆς λόγῃ; at triduo mortis extitit humana Natura in illa subsistentia τῆς λόγῃ cum unione tantum personali. Ideò salva & integra fuit humana Natura in Christo, licet vinculum unionis naturalis in ὑποστάσει τῆς λόγῃ ad tempus desierit. (γ) Ad hominem Θεάνθρωπον in ultimo exinanitionis statu, qualis fuit triduana mors, non tam necessariò requirenda est unio naturalis inter corpus & animam, quam utriusq; unio personalis in completâ subsistentiâ τῆς λόγῃ, quæ subsistentia nunquam desit, aut desinere potuit. (2) *tr. 43. in Johann. ita insurgente: Cum anima exit è corpore, & remanet caro sine anima, tunc homo ponere animam dicitur.* Ex quibus verbis argumentor: Quicquid augustus Augustinus de Christo in triduo mortis conclusit, id simul à nobis concludi non est paradoxum. Atqui de Christo Hominem fuisse triduo mortis conclusit. E. Hominem fuisse triduo mortis à nobis pariter concludi non est paradoxum. *Major* confirmatur ex *Spiritu Augustini*, qui aliàs orthodoxiam in Articulo de Persona Christi sincerè confessus fuit, & pro unione personali, quæ *palmarium hujus controversiæ fundamentum* est fortiter pugnavit *Minor* liquet ex verbis citatis. (3) *Tom. 3. lib. de Fide ad Petr. Diacon. c. 2. pag. 23. in ejusmodi verba erumpente: In cruce idem Deus homo factus pependit, & in sepulchro idem Deus Homo factus jacuit.* Argumentor itaq;: Si Christus in cruce & in sepulchro fuit idem Deus homo, sequitur quod triduo mortis verus Homo permanferit. Atqui prius est verum E. & posterius. Connexio Majoris probatur ex indistantiâ temporis in triduanâ morte, quam mors, tum in cruce, tum in sepulchro unâ importat. Ergò Christus mediâ in morte verus Homo permanferit.

§. 31. II. *Cum Luthero*; Qualem fidem de Christo mortuo, co-
operante Spiritus Sancti assistentia, ipse *Lutherus* ex Artic. II.
Symboli Apostolici hausit, talem & nobis concedendam esse
nostra jubet Religio. Atqui *Lutherus Tom. VI. Jenens. p. 77. & seq.*
ex symbolo isto confessus est, quod Christus triduo mortis per-
manserit (Deus &) verus Homo. Ergo & nobis hodiè confiten-
dum est, quod Christus triduo mortis (Deus &) verus Homo per-
manserit. *Majori* non videtur opus esse stabilimento: Nam si *Lut-*
therani in mysteriis talem fidem habent, qualem *Lutherus*, eorum
nemo æternæ salutis naufragium patietur. *Minor* confirmatur
ex ipsius *Lutheri* verbis *loc. cit.* ubi Descensum Christi ad inferos
exponens, simul de eò, quis fuerit triduo mortis, suas meditatio-
nes sacras, & iisdem mysterii veritatem solidissimè ostendit:
Wir sollen/sagt er/unnöthige Fragen fahren lassen/und schlecht ein-
fältiglich unser Herz und Gedanken an die Wort des Glaubens
hefften und binden/welcher sagt: Ich gläube an den HERRN Chri-
stum Gottes Sohn/ gestorben/ begraben/ und zur Hölle gefah-
ren/ das ist/ an die ganze Person / Gott und Mensch/ mit Leib und
Seele ungetheilet/von der Jungfrauen geboren/gelitten/gestorben
und begraben ist &c.

§. 32. III. *Cum Formulâ Concord.* (1) Quicumq; in suâ morte
tantum servi formam, non autem humanam Naturam deponit,
ille mediâ in morte verus homo permanet. Atqui Christus in
triduo mortis tantum servi formam, non verò humanam Natu-
ram deponit. E. Christus mediâ in morte verus Homo perman-
sit. De *Majori* nemo, nemo inquam, anceps erit: Nam per for-
mam servi intelligit orthodoxa Ecclesia statum Christi exinan-
tionis. Deinde humana Natura in *ὑποστάσει τῆς λόγῃ* eò modo
est perpendenda, qualem §. 17. 18 & 19. ostendimus. *Minor* pro-
batur ex jam dictâ *Form. Concord.* p. 608. & 767. (2) De quo-
cunq; in triduo mortis verificantur propositiones hæ persona-
les: *Deus est homo*; & *Homo est Deus*, ille etiam in triduo mor-
tis imò in omnem æternitatem permanet talis, qualis penejus-
modi propositiones esse in *Form. Concord.* docetur. Atqui de
Christo in triduo mortis verificantur Propositiones illæ perso-
nales: *Deus est Homo*; & *Homo est Deus*. Ergo Christus in tri-
duo

duo mortis, imò in omnem æternitatem permanet talis, qualis per ejusmodi propositiones esse in *Form. Concord.* docetur; & sic per consequens in triduo mortis verus Homo permansit. *Majoris* fundamentum est in *Form. Conc.* p. 762. & 763. fermè sub ejusdem sine, ubi illa verba: Persona FILII DEI INCARNATI, ut sine divinitate suâ, ita etiam sine humanitate suâ non est integra persona. *Minor* patet ex jam laudatâ *Form. Conc.* p. 607. num. VI. & XIX. quibus annecti potest num. IX. nec non p. 788.

§. 33. IV. *Cum magnis nostræ Ecclesiæ Theologis*: Quicquid insignium ex Lutheranis Theologorum corona, de Christo tempore triduanæ mortis, cum Scripturæ Sacræ, Symbolorum, tum Apostolici, tum Athanasiani, & Patrum eloquio credit, id & nobis est credendum. Sed insignium ex Lutheranis Theologorum corona credit, quòd Christus in triduo mortis verus Homo fuerit. Ergo id & nobis est credendum, quod scil. verus Homo permanserit. *Major* est in propatulò: Nos enim aliter sentientes, à viâ orthodoxiæ declinaremus. *Minor* illustratur per inductionem subsequentium Doctorum; & quidem (1) *D. Andr. Osian dr. Diss. X. in Form. Concord. thes. 4. §. 2.* de Descens. Christi ita differentis: Nam quemadmodum de totâ Christi personâ, Deo & Homine, & Homine quidem tam secundum animam, quam corpus consideratò enunciatur, quòd sit conceptus, natus passus, crucifixus, mortuus, sepultus, &c. (2) *D. Salom. Gesner. Diss. XIV. pro Lib. Concord. cap. 3. th. 42. p. 477. & th. 45 p. 478.* Nam tamen mors, sponte admissa, vinculum Naturæ dissolvit, animamq; à corpore sejunxit, arctissimum tamen unionis personalis nexum minimè dirupit. Corpus ab animâ & vitâ solum *Φυσικῶς*, sed non ab ipsò *αὐτοζῶν* distractum *ψυχικῶς*. (Quomodo igitur corpus, cujus *ψυχικῶς* ipsa vita est, putresceret? ut in delirium cadit Beza) (3) *D. Balthas. Meitzer. tom. 6. Diss. XIX. th. 373. p. 384.* qui, dum Cajetanum allegat Martinus p. 400. & inter cœtera hæc ejus verba: *Caro Christi in triduo mortis non erat animata, nec humana, nec etiam caro, nisi equivoce*, ita respondet: Expendat aliquis, utrum duo posteriora membra consistere valeant cum unione τῆς λόγῃ & corporis Christi in sepulchro quiescentis. Quis enim est, qui jacet in sepulchro? annon est Jesus Christus, Filius Dei, natus ex

Mariã virgine, passus & mortuus? vocabisne carnem Filii Dei propriam & vivificatricem, non nisi carnem æquivocè? Malè agitur cum Theologia, cum *ad principia rationis & communis nature exiguntur articuli fidei*, qui non nisi ex Dei verbo constituti sunt, & judicari debent. (4) *Just. Fewerb. part. 3. Dissert. X. §. 29. p. 777.* Et si Christus in suã morte triduanã secundum suam carnem non vixit (quia demum in resurrectione suã revixit, *Rom. XIV, 9. & Apoc. I, 18. & c. II, 8.*) tamen & tum mansit verus Filius hominis, *Matth. XII, 40.* Per quem in universã S. Scriptura notatur & judicatur verus homo, & sic Christus Θεὸς ὑθροπ Θεο nequaquam duntaxat æquivocè dictus homo, ut cum Martinò Bremensi ex Cajetano *Dissentientes* opinantur. (5) *Doct. Lys. p. 3. Num. 97. not. 3.* Interim tamen, quod Dei Filius in suam subsistentiam semel suscepit, nunquam deposuit: Ita E. eadem partes, sicut unitæ subsistentiã divinã subsistebant, ita & solutæ in eãdem permanebant, ut ita quoad actum personalem hæc humanitas eandem subsistentiam retineret. Hinc in hoc loco appellat suum Patrem: Patris verò vox non tantùm secundum divinitatem, sed & secundum humanitatem Christum respicit. Filialis enim illa ratio humanitatẽ quoq; communicata, ita ut unus sit & maneat Filius atque Christus. Res ipsa etiam id demonstrat, etsi enim naturalis Unio Corporis & animæ per veram mortem dissoluta fuerit, non tamen nova subsistentia Cadaveris, aut imperfectæ animæ subsistentia, quam in aliis hominibus post mortem habet, successit, sed eadem divina subsistentia semper permansit, in qua utrumque supernaturali, illocali & imperscrutabili modo unitum personaliter permansit. Ita E. in morte non desit humanitas, sed quæ per unionem naturalem orta fuit & suam ultimam in subsistendo perfectionem aliunde donatam habuit, invariabiliter in morte continuata, & ipsa vera permansit. *Confer. Num. 233 not. 4. 5.* (6) *Johann. Georg. Dorsch. ex Admir. mort. Jesu Christi p. 318.* Non vult Filius Dei non esse homo, sicut non vult non esse Deus; postquam semel carni sanctissimæ foederatus est, tantã necessitate homo est ex personali unione, quanta Deus est ex æternã genitura. *Et p. 364.* Quamvis *vivus* non fuerit Jesus, si carnem ejus in triduo mortis occupatam consideraveris, *vivifiscus* tamen fuit

fuit, qui principium unum, primum atq; summum omnis vitæ sibi & unitum admirabiliter & communicatum penitissimè habebat. Admiranda igitur illa revelationum, p. 370. divinarum de morte vivificâ simplici animò amplectamur, nec ibi nova quædam fingamus miracula, ubi hoc est miraculorum miraculum, quæ Dominus naturæ legibus, & quod maximum est, naturæ etiam fatiscantis & pereuntis legibus, in profundissimò illò Exinanitionis mysterio, sese subicere voluerit. (7) *Conrad Danbawer. Χρῆστοφίας Sect. 1. Art. 3. p. 48.* qui, nimium delirantis in hoc controversiæ statu, Thomæ. l. 3. qv. 5. art. 4. Sophisticationem hanc (Totus Christus constat ex Deo & Homine, Christus mortuus non constat ex Deo & homine, quia negato genere τὸ vivo, negatur species. Ergo Christus mortuus non est totus Christus) ita limitando majorem diluit: Totus Christus constat ex Deo & homine, vel naturaliter ex partibus unito, vel in partes suas separato. Et si nunc Christus mortuus non constiterit ex homine è partibus suis actu unitis, constitit tamen ex homine in partes suas separato. Verum homo mortuus, in gratiam *Dissentientium* excipiendo pergit, & in partes suas resolutus non est homo, quia non est ens vivum. Imò vero respondeo, *inquit*, juxta phrasin Scripturæ, homo etiam in partes suas resolutus est vivens: Vivit enim Deo, vid. *Luc. XX, 38 Marc. V, 39.*

§. 34. QVINTO *Scholasticorum quorundam suffragia.* Quorumcunq; Doctrina cum Scriptura, Patribus, & insignium nostrorum Theologorum sententiâ convenit, illa nobis pariter est amplectenda. Atqui nonnullorum Scholasticorum Doctrina de Christo in triduo mortis, scilicet quod verus homo permanferit, cum Scriptura, Patribus, & insignium nostrorum Theologorum sententiâ convenit. Et nonnullorum scholasticorum doctrina de Christo in triduo mortis, quod verus homo permanferit, nobis pariter est amplectenda. Major est manifesta: Nam ex hæcenus recensitis nemo statuere potest, quod Scripturæ & fidei analogiæ data confirmatio refragetur. Minor patet ex inductione (1) *Lomb Theologiæ Scholast. Magistri l. 3. Sentent. Dist. 22.* Dicimus, *inquit*, in morte Christi Deum vere fuisse hominem & tamen mortuum; & hominem quidem nec mortalem,

nec immortalē, quia unitus erat animæ & carni sejunctis. *Alia*
enim ratione dicitur Deus homo, vel homo Deus, quā Martinus vel
Johannes. Homo enim dicitur Deus & è conversō, propter
susceptionem hominis, i. e. animæ & carnis. Item, propter se-
parationem animæ à carne mortuus, sed propter utriusq; sem-
per secum unionem homo. Non autem sic erat homo, ut ex a-
nimâ & carne simul junctis subsisteret. Ex quâ ratione dicitur
aliquis alius homo, & ipse fortè ante mortem hoc etiam modo
fuit homo & post resurrectionem fuit. In morte verò erat ho-
mo tantum propter animæ & carnis secum unionem, & mortuus
propter inter illa duo divisionem. *Ex his patet, quod ad rationem*
hominis θεανθρώπος in persona Christi sufficiant corpus & anima, sive
illa duo in ὑπόστασις τῆς λόγῃs naturaliter sint conjuncta, sive sejun-
cta. (2) *Bonaventura, pro Lombardo militantis in lib. 3. sent. dist. 22.*
art. 1. qv. 1. fol. 274. In Christo duæ fuerunt uniones, videlicet
unio animæ & carnis, & unio divinæ Naturæ & humanæ. Unio
divinæ naturæ & humanæ faciebat Christum esse hominem, jux-
ta illud, quod dicit Aug. *Talis fuit illa susceptio, ut faceret Deum*
hominem, & hominem Deum. Unio verò animæ ad carnem facie-
bat hominem illum vivere. Quia ergò in triduo mansit unio
divinitatis ad humanitatem & soluta fuit unio animæ ad carnem,
hinc est, quod posuit Magister, *quod Christus in triduo non desit*
esse homo, sed desit vivere: Ideo verum est dicere, secundū ipsum,
de Christo, quod fuit homo in triduo, & quod fuit homo mor-
tuus, quamvis non possit dici de aliquo alio. (3) *Alexandri de*
Ales vel Alensis, unius ex antiquioribus scholasticis, qui cognomen
Doctoris irrefragabilis consecutus est, ut meminit Meisn. beat. me-
morie in vexat. quest. ii. tb. 14. & cujus commentarii clavis Theo-
logiæ nuncupantur, part. 3. Quest. 29. membr. 3. Hic, inquam, li-
cet in partem affirmativam non statim abeat, nihilominus in e-
am consentire videtur, *partim Lombardi opinionem recitans his*
verbis fol. 58. lit. A. Magister dicit, quod fuit homo, quum habuit
illam eandem naturam ipse Deus sibi unitam, & eodem modo,
quo prius, ex quâ unione dicitur homo. Dicit etiam, quod ali-
ter est in puro homine, aliter in Christo: quum in puro homine
non est, nisi una unio, scil. animæ ad carnem, sed in Christo sunt
duæ

duæ uniones, una unio humanitatis ad divinitatem, & hæc con-
 stituit eum hominem; alia est animæ ad carnem, & hæc fecit e-
 um vivere. Unde cum hæc fuerit soluta in triduo, dicunt eum
 fuisse mortuum. Sed quum alia non fuit soluta, dicunt ipsum
 fuisse hominem; *Partim novam à se excogitatam distinctionem ad-
 bibens*, quæ sic habet: Potest tamen dici aliter, quod homo dici-
 tur materialiter & formaliter; Quippe *Materialiter* loquendo
 Christus in triduo est homo, quum habet esse in animâ & corpo-
 re, ex quibus constituitur; *Formaliter* verò non est homo, quia
 non fuit ibi compositio ex corpore & anima, unde est formalis
 constitutio hominis. Quum ergo est hypostasis seu persona ha-
 bens animam & corpus, est dicere, quod est materialiter homo,
 quum verò non est hypostasis seu persona subsistens in corpore,
 & anima unitis, non est dicere, quod sit formaliter homo. Hanc
 distinctionem licet ex *Dissentientibus nonnemo* in totum rejiciat,
 quoniam à solâ materiâ rem denominare velle, nimis impropri-
 um est, & accuratis disputatoribus indignum; & ex concessio, ob-
 solutionem naturalem, homo formaliter talis esse neutiquam
 deprehenditur. Nihilominus *Alexander ille Alensis* suo modo
 est excusandus: Nam Christum vocat hominem minimè à sola
 materia, h. e. à corpore & animâ humanâ, quatenus absolutè se-
 junctim sine subsistentiâ considerantur, sed in quantum adhuc
 respectivè conjunctim & unita subsistunt in ὑποστάσει τῆς λόγῃ,
 quale de ψιλανθρώπῳ nunquam dici potest, licet interim cor-
 pus ab animâ intra ὑπόστασιν soluta fuerit. Deinde notandum est,
 quod *Alexander*, Christum triduo mortis formaliter esse homi-
 nem negans, unicè respectum habuerit ad unionem naturalem,
 quâ quidem cum nudo homine vivo convenit, non vero ad u-
 nionem personalem, quâ eminentiori formâ & mysticâ ratione (dum
 hæc ipsi quasi dominatur) Christus verus Homo fuisse, & adhuc
 existere creditur; & ita multum discrepat ψιλανθρώπῳ ὅτι ὁ
 τῆς θεανθρώπῃς. Ergo non tam *Scholasticus*, quàm ipse *Dissentiens*
Theologus errat, quando opinatur ad permanentem hominis
 θεανθρώπῃς veritatem minimè gentium sufficere corpus & a-
 nimam in uno supposito unita, nisi quoque naturaliter sint co-
 pulata.

§ 35. SEXTO. *Absurditatum nonnullarum consequentia*: Ubi argumentamur. I. Si Filius Dei & Mariæ Virginis in morte suâ (quæ fuit verissima) desiit esse *verus homo*, & cessasset habere *veram animam humanam* & *verum humanum corpus* (sicut Martinus Bremensis cum Cajetano opinatur, quando ait: *carnem Christi in triduo mortis nec humanam, nec etiam carnem, nisi equivocè, fuisse*) tùm ipse Deus \omicron λόγος, in illâ suâ morte desiit esse *verus homo*, & cessasset habere *animam verè humanam*, & *corpus verè humanum*; & ita non ipse Deus, \omicron λόγος adhuc *verè inhumanatus*, adeoq; anima verè humana & corpore verè humano etiamnum præditus, fuisset mortuus, non pependisset in cruce mortuus, non fuisset de cruce depositus, non fuisset linteis cum aromatis obvinctus, non fuisset in hortum delatus, non sepultus, nec in sepulchrò mortuus jacuisset, nec tertia die resurrexisset, & sic actum esset de tota generis humani redemptione. Atqui posterius est falsum. Ergo & prius. Connexio Majoris probatur inde, quia (1) hæc jam enumerata & similia *ἰδιὰ* ipsi Deo τῷ λόγῳ, propter unionem cum assumptâ suâ animâ *verè humanâ*, & cum corpore suò *verè humanò*, in morte ab ipsâ animâ, respectu desitæ naturalis unionis, verè soluto & separato, *hypostaticam*, quæ ne quidem in ipsâ morte desiit, sed indissoluta permansit, & semper permanebit, verè & realiter competunt. (2) Non nudi hominis, sed ipsius Dei τῷ λόγῳ verè inhumanati universa passio & ipsa mors etiam triduaana est nostri redemptrix; nec nudi hominis, sed ipsius Dei τῷ λόγῳ verè incarnati & verè mortui sepultura est nostrorum sepulchrorum sanctificatrix, neque meri hominis, sed ipsius veri θεοῦ Θεώπυ, veri Dei & veri hominis, resurrectio facta est propter nostri justificationem Rom. IV, 25. cum quò confer. I. Cor. XV, 17. & c. I. Petr. I, 3. & c. III, 21. II. Si Filius Dei unigenitus in suâ morte triduaanâ desisset esse *verus homo*, & cepisset non nisi *ὀμωύμως* & *equivocè* dictus, esse homo, sequeretur, quòd in suâ resurrectione cepisset iterum fieri & esse *verus homo*, & sic bis esset *verus homo* factus; semel in incarnatione, & deinceps in resurrectione; quippe postquam etiam est & dicitur *Filius Hominis*, Matth. XXIV, 30. & c. XXVI, 64. Sed posterius est absurdum: Nam in suâ resurrectione non iterum cepit fieri & esse *verus*

735

*Nullus homo, nec ipsius anima, quae in recessu suo à corpore desinit esse verè humana; in reditu suo ad corpus incepit rursus fieri & esse verè humana anima; neq; ipsius corpus, quod in sui dissolutione & separatione à suâ animâ cessavit esse verè humanum, in sui cum animâ sua reduntione incepit iterum fieri & esse verè humanum corpus, sed ipse Christus, ut homo, in suâ resurrectione coepit rursus vivere, seu revixit. Ergo & prius est absurdum, quod scil. triduo mortis desierit esse verus homo, & inceperit non nisi *ὁμοῦως*, & equivocè dictus esse homo. Connexionem Majoris (1) illustrat præcedens argumentum, quod unionem personalem exprimit, quæ in hujus controversiæ statu ubique fundamenti locò extat. (2) Confirmat Scriptura Sacra, cui nos semper conformemur oportet: Etenim ea ipsa testatur, quod Filius Dei unigenitus non bis, sed semel factus fuerit verus homo; Filius nempe Mariæ Virginis *Luc. I, 31. & c. II, 7. & Rom. I, 3. & Gal. IV, 4.* (3) Addi potest, quod tantummodò secundum suam carnem verè desinit vivere, *Esa. LIII, 8. Act. VIII, 33. & I. Petr. III, 18.* Et cum divina Scriptura, quæ sola est articulorum fidei Christianæ norma infallibilis, mortem Christi non opponat ipsius humanæ permanenti veritati, sed ipsius vitæ Physicæ, quam post egressionem suæ animæ ex suo corpore, in carne suâ non retinuit, sed verè deposuit *Matth. XXVII, 50. Marc. XV, 36. 43. Luc. XXIII, 46. Johann. XIX, 30. 33.* apertè sequitur, quod nemo hominum, qualiscunque etiam sit, assertam hæctenus orthodoxiam firmissimis argumentis convincere potuerit. Et tantum quoque de *Articulò secundo.**

ARTICULUS TERTIUS.

Proferens confirmatæ Quaestionis à Dissidentium
 Doctorum opinione vindicationem.

Punct. I. *Ubi Dissidentium Objectiones.*

§. 36. Satis adæquatè formatum Controversiæ statum cum
 sufficienti fundamentorum enumeratione excipiunt argumenta
 opposita, quorum nonnulla sunt antiquiora, nonnulla recentio-

F

ra. Ex

sa. Ex antiquioribus PRIMUM est: Quicumq; verè mortuus est, is desit esse verus homo. Sed Christus verè mortuus est. Ergo Christus tempore mortis desit esse verus homo. Minor certa est ex fide, quippe fundata in Scripturis, roborata in Symbolo Apostolico, & confirmata per Epistolam Synodalem Cyrilli, cujus hæc verba Concil. Eph. Can. 12. *Si quis non confitetur, Christum Dei verbum carne passum, & crucifixum carne, & quod mortem gustaverit, anathema sit.* Major indubiæ veritatis est, quia mors est corruptio hominis. Uti verò per generationem acquiritur; ita per corruptionem adimitur rei Esse. Nam idem est generationis terminus ad quem; & corruptionis terminus à quo. Ut igitur per generationem homo incipit esse verus homo, sic per corruptionem & mortem, homo desinit esse verus homo. Quicumq; igitur Christum in morte dicunt mansisse, verum hominem, illi, velint nolint, mortis Dominicæ veritati multum detrahunt, ut rectè scripserit Durandus p. 556. B. *Dicere Christum in morte verum fuisse hominem, est negare articulum fidei, quia est negare, eum fuisse verè mortuum.* SECUNDUM est: De quo negatur genus superius, de illo negatur ipsa res & species. Sed de Christo, tempore mortis, negatur genus hominis superius, nempe corpus vivens. Ergo de Christo tempore mortis negari debet ipsa res vel species hominis. Major extra dubium est, quum species fundentur in genere, quo destructo, illæ superesse aut affirmari nequeunt. Minor patet, quia hominis genus est animal, animalis genus est corpus sentiens & vivum. De Christo autem mortuo dici haud potest, quod fuerit corpus, quia non constabat ex materiâ & formâ unitis; multò minus erat corpus sentiens, & vivum, quia foret ἀντίφασις ἐν τῷ ὄντι καὶ ἐν τῷ ἔχειν, mortuum esse, & vivum esse, unde sequitur irrefragabiliter, quod Christus mortuus non fuerit verus homo. TERTIUM: Quicquid non est animatum, illud non est verus homo, quum omnem hominem, quia est animal, animatum esse oporteat. Sed Christus mortuus non fuit animatus, ob factam animæ à corpore discessionem. Ergo Christus mortuus non fuit verus homo. Ad minorem non licet excipere, *Christum fuisse animatum, quia rationalem animam in suâ ἰατρύσει retinuerit.* Nam

Nam ut aliquid verè dicatur animatum, non sufficit sola animæ præsentia, sed necesse est, ut per modum informationis adsit; unde quicquid ab animâ non informatur, id verè proprièque animatum non dicitur. Anima verò tempore mortis desit esse forma, nec in Christo Dei filio erat per modum informationis. Quare Christus non fuit verè animatus, & per consequens nec homo. Rationem hanc tetigit Bonaventura l. 3. fol. 474. ita differens: *Sicut unio divina nature & humane facit, Deum esse hominem: Ita unio anime ad carnem facit esse animatum. Ergo cessante unione anime ad carnem, cessat esse animatum, & si cessat esse animatum, cessat esse animal, & si cessat esse animal, necessario cessat esse homo. Ergo quum in Christo fuerit separatio anime à carne in triduo, Christus desit esse homo in triduo.* **QVARTUM** est: In quo non dantur partes constituentes, quæ tales, de illo prædicari nequit totum constitutum. Sed in Christo, tempore mortis, non dabantur partes hominem constituentes, quæ tales. Ergo de Christo tempore mortis homo prædicari minime potest. *Major* probatur ex formali ratione partium, quæ consistit in constitutione totius, quia id tantum pars vocatur, quod actu constituit totum. *Minor* inde plana est, quia licet anima & corpus post mortem subsistebant in λόγῳ, non tamen erant partes hominis, ob factam separationem. Filius Dei in suâ ἕνωσιν habebat quidem animam & corpus, sed non habebat tanquam partes hominis, quia unita non erant, & nihil constituebant. Simili argumento Gabriel Biel usus est l. 3. dist. 22. art. 2. concl. 1. *In illo, ait, triduo, persona Christi non subsistebat in natura humana. Igitur non fuit verus homo. Tenet consequentia ex quid nominis hujus termini homo. Antecedens patet, quia in illo triduo caro & anima, in quibus subsistebat persona verbi, non constituerunt humanitatem, nec propter sui separationem composuerunt unam naturam. Humanitas autem est natura composita ex materiâ & formâ.* **QVINTUM** est: Filius Dei per & propter conjunctionem animæ corporisque verus homo factus est. Ergo conjunctione illâ sublatâ, verus homo esse desit. *Antecedens* probatur, quia si filius Dei corpus & animam humanam assumpsisset inconjuncta vel non unita, hoc ipso non fuisset factus homo, i-

mo, ideoque unione illâ ruptâ, sine dubio non permansit homo. Remotâ enim causâ vel negato antecedente removetur effectus vel immediatum consequens. Sed causa vel antecedens, per quod Filius Dei factus est homo, nempe unio animæ corporisq; remotum fuit in morte. Ergo & ipse effectus seu immediatum consequens, nempe verum hominem esse, tunc remotum fuit, & propterea de Christo mortuo affirmari non debet.

§.37. Ex recentioribus fundamentis PRIMUM desumitur à naturâ & partibus hominis essentialibus. Partes hominis Metaphysicæ, inquit non nemo à parte Dissidentium, sunt animalitas & rationalitas. Inde fit argumentum: Omnis homo est corpus animatum sentiens. Christus tempore mortis non est corpus animatum sentiens. Ergo Christus tempore mortis non est homo. Partes hominis Physicæ sunt anima & corpus. Non sola anima hominem constituit, nec solum corpus; sed corpus & anima in unione physicâ. Jam: Omnis homo est quid compositum ex animâ & corpore, physicè unitis. Christus tempore mortis non est quid compositum ex corpore & animâ, physicè unitis. Ergo Christus tempore mortis non est homo. SECUNDUM petitur à veritate mortis: Quicumq; verè est mortuus, is desinit esse verus homo. Christus tempore mortis verè est mortuus. E Christus tempore mortis desinit esse verus homo. Minor est fidei, quam Christianorum nemo negat, nisi quis sit, qui piaculum magnum existimet contradicere *Manichæis*; nullum Scripturæ. *Manichæi* Christum non verè mortuum esse, sed putativè, finxisse dicuntur, idq; ideo, quod absolum videatur, mortem cadere posse in illud corpus, quod plenum fuit vitæ vivificantis, imò quòd caro vivifica fuit. Abeant hi cum suâ putativâ morte. Qui putativè Christum mortuum profiteretur, se non nisi putativè redemptum credat. Major tamdiu vera est, quàm diu mors est corruptio corporis viventis, sive animalis, sive hominis. Fundamentum positum est in separatione formæ à materiâ, siquidem in unione consistit ratio formalis corporis viventis seu animalis, quoad esse compositi, &c. TERTIUM capitur à sacrificii definitione: Omne Sacrificium propriè dictum est destructio substantialis. Mors Christi est sacrificium propriè dictum. E, Mors Christi est.

est destructio substantialis. Destruiatur autem Christus non quia
 Deus, sed quia res animata & homo. Desit itaque per mortem ve-
 rus esse homo. Propositio prior in hoc syllogismo declaratur ab
Augustino l. 10. de Civit. Dei cap. 6. à D. Calixto de Sacrificio Christi tb.
XCII. & CXLIV. Affelmanno in συγκεφαλαίωσει controvers. de
Cenâ tb. 53. Riveto in Catholico orthodoxo, tract. 3. quest. 19. §. 8. Pro-
 positio posterior est fidei, & extat in S. Scripturâ, *Eph. 5, 2. Christus*
tradidit semetipsum pro nobis, περὶ τοῦ θανάτου καὶ θυσίας τῷ θεῷ obla-
tionem & hostiam Dei, in odorem suavitatis, Hebr. 9. v. 14. Christus
per Spiritum eternam ἑαυτὸν προσήνεγκεν ἁμῶν τῷ θεῷ semet-
ipsum obtulit inculpatum Deo; idq; hoc sine, sicut explicatur, ut
 haberemus sanguinem satis potentem ad purgandam conscien-
 tiam nostram ab operibus mortuis v. 25 26. Adde cap. 10. v. 10. 12.
 14. **QUARTUM** *suppeditat resurrectio ex mortuis, ubi duplici mo-*
 do concluditur: I. Quicumq; ex mortuis resuscitatur, is idem nu-
 mero reproducitur. Christus ex mortuis resuscitatur. E. Christus
 reproducitur idem numero. *Major patet: Nam per resuscita-*
 tionem ex mortuis aut aliquid fit, aut nihil. *Posterius falsum*
 est, Ergo prius verum est. Porro quod fit in resurrectione, aut est
 res plane nova, quæ antea nunquam extitit, aut res, quæ antea a-
 liquando extitit. Non prius, aliàs non esset resurrectio. E. poste-
 rius, quod ut credamus, etiam sacra pagina jubet. Est itaque re-
 surrectio ejusdem numero reproductio. II. Quicumq; reprodu-
 citur idem numero, is aliquando desit esse. Quia nihil potest
 reproduci, quod non aliquando destructum fuit & desit. Chri-
 stus reproducitur idem numero. E. Christus aliquando desit ef-
 se. Desit autem aut secundum divinam naturam, aut secundum
 humanam naturam. Non secundum divinam, ut constat. E.
 secundum humanam, cujus integritas, sublata communicatione
 naturali inter corpus & animam, est soluta. **QUINTUM** *con-*
stituitur ex distinctis locis Scripturæ & loquendi formulis. Qua de
re Primus locus depromitur ex vaticinio Danielis cap. 9, 20. post
hebdomadas sexaginta & duas יְכַרְתַּם מִשִּׁיחַ וְאֵין לוֹ excidetur Mes-
sias, & non ei erit aliquid, i. e. non erit, perierit. Sic infantes ab
Herode interfecti dicuntur non esse, seu periisse Jer. 31, 15. Matth.
2, 18. Alter locus ex ore ipsius Salvatoris prodiit, Luc. 13, 32-33. Di-

querant quidam Phariseorum ad Christum: Exi & abi nunc. Nam Herodes vult te interimere. Salvator autem ait: Πορευθέντες εἰπατέ τῇ ἀλωπεκῇ ταύτῃ· ἰδοὺ ἐκβάλλω δαίμονια, καὶ ἰασεὶς ἐπιτελεῖσθαι σήμερον καὶ αὔριον, καὶ τῇ τρίτῃ πλειῖμα· πλὴς δὲ με σήμερον καὶ αὔριον καὶ τῇ ἐχομένῃ πορεύεσθαι, ὅτι οὐκ ἐνδέχεται πρὸ Φῆτιν ἀπιλεῖσθαι ἔξω Ἰερουσαλὴμ. Euntes dicite vatri isti: Ecce ejicio demonia, & sanationes perago hodie & cras, tertia autem die consummabor (Luth. Am dritten Tage werde ich ein Ende nehmen) Verum tamen oportet me hodie & cras & perendie iter facere. Quia non est (Lutherus: Es thut's nicht) ut Propheta pereat extra Jerusalem. Tertium dictum item Christi est Job. 2, 19. λύσατε τὸν ναὸν τῶν τριῶν, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν. Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Atq; hoc dicebat de templo corporis sui v. 21. cujus dicti verba in sequentem formam Syllogisticam à nonnemine Theologo rediguntur. Omne templum in suas partes solutum (sive typicum sit sive præfiguratum) definit esse. Homo Christus est templum (templo veteris Testamenti præfiguratum) in suas partes solutum. E. Homo Christus desinit esse; non quoad divinam naturam. E. quoad humanam naturam, cujus partes, solutione facta, hominem ulterius non constituunt. Sicut autem Christus templi sacrosancti solutionem antè annuntiavit, quàm facta est: Ita etiam restitutionem ejusdem templi paulò post futuram promisit. Utrumq; factum esse Christiani credimus. **SEXTUM** provocat ad consensum orthodoxorum Theologorum: Ego, inquit non-nemo à parte Dissidentium Theologorum, nec solus, nec primus sum, qui Christum in morte verum hominem non fuisse professus est: ante me ita docuit Dn. D. Meisnerus Theologus Wittebergensis optimè meritis, tum in Quæstionibus vexatis, tum in Christologia. Nec non Dn. Græverus, Th. D. & Professor in Academia Jenensi celeberrimus, qui in Prælectionibus Academicis in Augustanæ Confessionis articulum 3. hanc quæstionem proponens: An Christus in triduo mortis fuerit homo? eam in utramq; partem considerat. Item in Disputatione sexta Quæstionum illustrium Theologicarum, quæstionem hanc quæ numero octava est, breviter resolvit. Verum enim verò quid de his statuendum, id ex sequenti puncto manifestum erit.

Punct.

Punct. II. Ubi ad opposita argumenta Responsiones.

§. 38. His objectionibus, quæ choro *Theologorum Dissentientium* penitus insolubiles videntur, ut satisfieri possit, observationes quædam præmittendæ sunt: PRIMO ea recolamus, quæ *precedentes Articuli* enunciant. In iis hoc potissimum continetur: I. Totam rem in hac proposita quæstione esse summum mysterium, quod nullus finitus intellectus comprehendere valet. Ergo in parvo erunt pretio *Rationalistæ* cum suis inconuenientibus Principiis Philosophicis, vid. §. 2. 12. II. Christum esse *θεανθρώπον*, h. e. simul Deum, & Hominem, cujus neutra natura in omnem æternitatem ab altera in Persona τῆς λόγῃ, h. e. ratione unionis personalis §. 13. separari queat, leg. §. 2. 13. 14. 15. 16. Ergo etiam de Christo non ita argumentari licet, quemadmodum de *ψιλανθρώπων* in propria subsistentia fieri solet. III. Mortem *θεανθρώπων* non esse eandem specie cum *ψιλανθρώπων* morte, sed, ut nostrates Theologi cum scriptura dicunt, incomparabilem, incomprehensibilem, imò miraculosam & nihilominus veram esse, confer §. 11. 26 *Fundamento* II. Ergo id credendum est, quod Sacra Scriptura dicit; at dicit, Christum media in morte permansisse verum hominem, ab eas ad §. 27. IV. Veri hominis *θεανθρώπων* Naturam (1) *principaliter* non ex communi natura, h. e. ex *Phyfica*, sed ex Scriptura esse explicandam, videantur §. 17. 18. 20. 24. 28. *respons. ad exception. 1. argumenti*, aliàs tantummodò attenderetur veritas nexûs termini (Hominis scil.) qui de Christo non *univocè* §. 24. sed *in usitatè & eminenter* prædicatur; & negligeretur *veritas sententiarum*, de qua nec potest, nec debet judicare Philosophus, sed unicè Theologus. Ut ergo Philosophus, inquit *Jacob. Martini beat. memor. Disput. Anti-Calvinian. de Principio Fidei IX. §. 23.* de veritate hujus propositionis: *Christus habet verum naturale corpus, nihil scit, nihil intelligit, nihil judicat: Sic quoq; ejusmodi consequentiam (Ergo non potest corpus illud simul esse in cælo & in cæna hisce in terris celebrata) neq; inferre neq; à præcepto Philosophico sive Physico (unum corpus tantum est in uno loco) confirmare valet.* Eandem

con-

concludendi rationem de presenti materia instituendam esse; quivis Eruditorum primo etiam intuitu comprehendere potest. (2) consistere non tantum Naturaliter & certo respectu Physicè in essentiali animæ & corporis unione sine propria subsistentia in personâ Christi, sed etiam Personaliter & maximè eminenti modo Perichoristicè; præter illam essentialem animæ & corporis unionem sine propriâ subsistentia, in ἑνωσίσει τῆς λόγῃ, h. e. in personali & immensâ Filii Dei subsistentia, quæ nunquam fuit sublata, multò minùs posthac dissolvi poterit, legas §. 19 Ergò Christus etiam media in morte juxta Scripturæ sensum (quod optimè notes) verus Homo, non univocè, sed maximè eminenti modo & conditione, talis permanfit.

§. 39. DEINDE obiter adjicimus, quæ de ambiguitate vocabuli (*Hominis*) pro adstruenda sua hypothese, in posito Problemate non nemo à parte *Dissentientium* scitu digna præsupponit *Dissert. Physicò-Theolog. de vero Homin. §. 12. p. 54.* Quamvis maxima ex parte ad illustrandam hanc materiam parùm faciant. Variè, inquit, accipitur vox *hominis*: Præcipuas notabimus distinctiones. Primò accipitur homo, vel secundum esse actuale, quatenus actu homo est, vel secundum esse aptitudinale, quatenus est in potentia. Secundò sumitur, vel in statu pro homine jam existente, vel in ampliatione pro supposito, quod antea homo fuit, vel etiam postmodum futurum speramus. Tertiò accipitur, vel totaliter pro integro homine, vel Synecdochicè pro sola anima; ut cum dico de amico mortuo: Hic homo jam est in cælo. Quartò homo accipitur, vel materialiter quoad partes, animam & carnem extra unionem; vel formaliter quoad unionem partium. Quintò dividitur in *Physicum*, qui merè est homo; & *hyperphysicum*, qui eventus est supra conditionem humanam. Jam cum quæritur, pergat ille *Dissentiens Doctor*, an Christus in triduo mortis homo permanferit? nullus dubitat, annon fuerit in potentia homo, annon dici homo in ampliatione potuerit. Si quispiam est, cui placet *materialis homo Alexandri Alensis*, aut *Platonis & Hugonis homo Synecdochicus*, id est, qui secundum suas partes, vel omnes non unitas, vel potiozem, animam separatam consideratur, ut sibi in ἡστὰ ἀκρυβλογία placeat, non repugnabimus. Nunquam tamen
permis-

permissuri, ut nobis persuadeat, materialem istum & Synecdochicum verum esse hominem, quem in mortuo Christo quaerimus. Huc usq; ille, cui priores quatuor acceptiones facile largimur; ultimam autem recipientes à corruptelis infra vindicabimus.

§. 40. Hisce praemissis, respondemus ad antiquiorum argumentorum PRIMUM (1) distinguendo *Majorem* inter $\psi\iota\lambda\acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron\nu$ & $\theta\epsilon\acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron\nu$. Quicumq; verè moritur, ut $\psi\iota\lambda\acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron$, is desinit esse verus homo: Sic concedimus *Majorem*, & negamus *Minorem*. Jam autem: Quicumq; verè moritur, ut $\theta\epsilon\acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron$, is desinit esse verus homo; sic negamus *Majorem*, & concedimus *Minorem*. Quid verò sit, tum $\psi\iota\lambda\acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron$, tum $\theta\epsilon\acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron$, ostendit §. 2. 17. 18. 19. 24. 26. (2) Nullam dari veram oppositionem inter mortem & hominis veritatem: Nam mors cum sit privatio, propriè non opponitur homini, sed vitae, quæ mortem semper præcedit, legas §. 29. sub finem. (3) $\psi\iota\lambda\acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron\nu$ non tantum desinere esse verum hominem, sed etiam desinere vivere vita naturali. Jam quod ad $\theta\epsilon\acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron\nu$, licet ille vivere vita naturali desierit in triduo mortis, non tamen desit esse verus homo; aliàs humanæ naturæ $\psi\omega\sigma\epsilon\iota\sigma\iota\varsigma$, quæ est Filii Dei $\psi\omega\sigma\epsilon\iota\sigma\iota\varsigma$, redacta fuisset in nihilum, id quod Atheismus, conf. §. 35. Hinc *humanitatis partes in Christo* sicut unitæ subsistentia divina subsistebant, ita & solutæ in eadem permanebant, nec singulæ singulas subsistentias sibi requirebant. Quomodo autem corpus Christi verè fuerit mortuum, ac nihilominus in media morte manserit *Verbi*, omnia vivificantis, proprium templum, personaliter illi unitum, omnem Angelorum & Hominum captum excedit, huc refer §. 12. & §. 29. circa finem. Non igitur injuria caro Christi in sepulchro quamvis non fuerit viva, vita naturali, vivificatrix fuit vita personali, h. e. quoad actum personalem, qui nunquam solutus fuit, ut videri potest ex §. 13. 14. 15. 16. Prætereà confer §. 19. 26. Quod ad probationem *Minoris*, illa ut est orthodoxæ fidei, ita à nobis ultrò conceditur. *Majoris* ratio non est universaliter vera, quia tantum loquitur de morte $\psi\iota\lambda\acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron\varsigma$, h. e. merè naturali, quâ non includitur mors $\theta\epsilon\acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron\varsigma$, h. e. supernaturalis & miraculosa, de quâ legas §. 11. & 38. *num. III.* Ergo non valet *Rationis* conclusum, quod illi, quicumq; Christum in morte di-

G

cunt

cunt mansisse verum hominem, velint nolint, ex *Durandi* somnio
mortis Dominicæ veritati multum detrahant.

§. 41. AD SECUNDUM, & quidem ad ejusdem *Majorem*
respondemus, illam esse *Canonem Dialecticum*, qui è choro Do-
ctorum propriè ad res, non quæ important prædicationes inusi-
tatas & eminentes, sed quæ constituunt usitatas & prædicamen-
tales, accommodari solet. Res enim eminentes, ut cuivis constat,
tabulas prædicamentales transcendunt. Sensus itaque *Majoris*
est continere prædicationem prædicamentalem. Jam verò quod
ad *Minorem*, (1) negamus ex §. 24. Christum in ullo aliquo prædi-
camento esse, multò minus ex eodem ullam aliquam commu-
nem naturam, v. g. *corpus, vivum, sentiens*, desumi, & de illo jux-
ta usitatum prædicandi modum propriè dici posse, videas §. 20.
& imprimis ibidem verba *Beati Jacob. Martini*. (2) *Corpus theav-*
θεώπρω, licet in triduo mortis non fuerit *vivum* vitâ naturali,
fuit tamen vivificatrix vita personali. Propterea, quando com-
miscetur prædicatio usitata & prædicamentalis, ut in *majorè* fit,
cum inusitata & eminenti, qualis *minor* est, ratio concludendi
neutiquam valet. Probatio *Majoris* loquitur unicè de iis, quæ
non extra, sed intra Prædicamenta continentur. Ass fundamen-
tum *Minoris* vult hominem non *θεάνθρωπον*, sed *ψιλάνθρωπον*.
Deinde quis asseret de homine *θεάνθρωπω*, propriè prædicari
posse animal. Hoc cum nunquam ex principiis Theologicis
demonstrari queat, adeamus §. 17. 18. 19. 20. 24. ubi exponitur,
quid sit homo *θεάνθρωπος*, & qua *χέσει* conceptus *hominis* de
θεάνθρωπω prædicetur. Porro: Quo respectu *corpus vivum* de
θεάνθρωπω dicitur, parili etiam ratione de eo, *corpus sentiens* e-
nunciari posse opinamur. Verùm quia *hic*, & similis generis
communiores conceptus ac termini prædicamentales quoad
rem de *θεάνθρωπω*, neq; ante mortem, neque in ipsâ morte quo-
ad *nomen*, multò minus quoad *rem* in sacro codice à Spiritu
Sancto prædicantur, eos in universum omnes potius averfari,
quàm ad præsens mysterium adeò intempestivè applicare no-
bis pariter incumbet. Tandem addimus, quòd Christus, li-
cet non confiterit ex *materia & forma* unitis, *unione naturali*,
habuerit tamen *corpus & animam*, unita *unione personali*, quæ
est:

est inhabitatio totius plenitudinis Deitatis *σωματικῶς*, & longè naturali præstat, videatur §. 29. sub fine.

§. 42. Ad TERTIUM respondemus, & quidem 1. Ad Majorem, eam loqui de rebus purè naturalibus, prædicamentalibus, & de quibus nobis ex naturâ ac philosophiâ constat. Jam verò quod ad *Minorem* (1) ea cum de rebus, supra captum humanum positis, loquatur, non potest cum *Majore* sub eadem terminorum *ἁεσει* consistere. *Cavendum enim est*, inquiunt Logici, *ne mutetur genus prædicandi in propositionibus*, vel ut alii loquuntur: *In Syllogismis servetur idem genus Prædicationis*. Nam (1) Christus non est Homo *univocè talis* sub Prædicamento Substantiæ, sicut ex *Dissentientium* posito statu controversiæ & fundamentis concludendum est: Sed est supra communem hominis statum elevatus, qui post factam incarnationem nunquam sine Deo, & Deus nunquam sine Homine substitit. Hinc omninò Christus in triduo mortis animatus fuit, sed *maximè eminenti modo*, sc. unione non naturali, sed personali, lege §. 20. 24. (2) longè aliter sese habet ratio cum *θεῷ ἁνθρώπῳ*, quàm cum *ψιλλανθρώπῳ*. Ille est Deus, & Homo sine propriâ substantiâ in *ὑποστάσει τῷ λόγῳ*; Hic est nudus Homo, quò moriente, insimul substantia tollitur. Ille ad rationis placita minimè contorqueri debet; Hic unicè ex Principiis Physicis est judicandus & examinandus. Quâ de re cum *θεῷ ἁνθρώπῳ* verè motuum esse & nihilominus *secundum Scripturæ sensum* in triduo mortis permanisse verum hominem, tam sublime sit mysterium, quod ne Angelus capere potest, *θεῷ ἁνθρώπῳ* cum *ψιλλανθρώπῳ* nulla intercedit ratione status & Personæ proportio: Etenim Natura de iis, quæ lumen Scripturæ proponit *ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ κατάληψιν*, ne γερὺ quidem scire valet. Satius itaq; est mysterium hoc cum simplici fide apprehendere, quàm illud ipsum, ut à parte, *Dissentientium cum Bonaventura* fieri solet, Rationis nostræ staterâ emetiri: Huc refer respons. ad præcedentia duo argumenta.

§. 43. Ad QVARTUM respondemus, & quidem ad *Majorem* (1) per *Instantiam*: Atqui in Christo ante incarnationem non dabantur (ut ita dicam) partes, Mediatorem constituentes, quâ tales, h. e. ambæ naturæ in Christo *actu* existentes. Ergo de Chri-

sto ante incarnationem minimè prædicari potuit, quòd fuerit
Mediator. Conclusio est absurda: Ergò vel *major*, vel *minor*.
Non *Minor*, ergo *Major*. Videmus itaq; *Majorem* esse particu-
larem, & nihil certi concludere. (2) Per *Distinctionem* inter par-
tes constituentes, quâ tales, h. e. consideratas actu & respectu
Phyfico seu naturali, & hyperphyfico seu maximè eminenti. Par-
tes constituentes, quâ tales, h. e. consideratæ actu & respectu Phy-
fico seu naturali, quando à se invicem segregantur, totum non
ampliùs constituunt, quia per solutionem unius ab altero subla-
ta fuit ejusdem subsistentia. Partes constituentes, quâ tales, h. e.
consideratæ actu & respectu hyperphyfico seu maximè eminenti.
v. g. corpus & anima Christi, licet in morte respectu unionis na-
turalis à se invicem separata fuerint, non tamen segregata sunt
ratione unionis personalis, multò minus sublata fuit ejusdem
Unitas mediâ in morte: Et hæc ratio est, cur anima & corpus
in triduo mortis, sed *maximè eminenti conditione*, totum scil. ho-
minem constituerint. Jam quod ad argumentum: In quocunq;
non dantur partes constituentes, quâ tales, h. e. consideratæ actu
& respectu vel Phyfico seu naturali, vel hyperphyfico seu maxi-
mè eminenti, de illo prædicari nequit totum constitutum. Sic
concedimus *Majorem* & negamus *Minorem*. Partes enim consti-
tuentes hominis, quâ tales, h. e. consideratæ respectu Phyfico
quamvis Christum mortuum non constituent hominem, fit ta-
men hoc respectu hyperphyfico & maximè eminenti, ut superius
ex Scripturâ palàm constitit. Ad probationem *Majoris* dicitur,
illam unicè respectum habere non ad res mysticas, ad quarum
classem Christus quocunq; tempore pertinet, sed ad Naturam &
Artem. Fundamentum *Minoris* unâ cum *Gabriele Biel* refellitur
ex §. 19. 28. *respons. ad exception. 1. argumenti.*

§. 44. Ad QUINTUM, quod Enthymema est, responde-
mus (1) adducendo quandam de Enthymematis naturâ regulam:
*Enthymema fiat in manifestis & facilioribus, non in immanifestis &
difficilioribus.* Tunc enim demum usum habet Enthymema, inquit
Perquam-Rever. Dn. D. Scharf. in Instit. Log. l. 3. c. 13. p. 574. quando
res propositæ adeò sunt manifestæ, ut sine periculo una proposi-
tionum possit omitti, eò quòd facile possit subintelligi, & ejus
veri-

Veritas utrinque pateat. Alias vero in obscurioribus facile potest
fraus exoriri atque deceptio, si Enthymematibus res agatur, & ita
aliquid occultetur in argumentationibus. Jam quid, quaeso, no-
strae Rationi obscurius ac difficilius unquam objici posset, quam
illud ipsum, quando Scriptura dicit, & nos cum Scriptura: Chri-
stum θεανθρώπου verè, at insimul miraculosè §. 11. mortuum fuis-
se, at nihilominus secundum Scripturae sensum, medià in morte, sed
maximè eminenti modo, mansisse verum hominem? vid. §. 26.
27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. Ideò Philosophus per suas rationes me-
rè Physicas, & imprimis per imperfectum Syllogismum, qui ad
mysteria adhibendus planè non est, nihil firmi adstruere pote-
rit. (2) Negando, Major propositio cum omissa fuerit, Minorem:
Ratio autem negandi hæc est: Quia *Predicatum* nullam cum
Subiecto habet convenientiam. Nam *Subiectum* est terminus
hyperphysicus, *Predicatum* verò Physicus. Sed quo respectu
consideratur Filius Dei, eodem etiam respectu debent ponde-
rari singula verba, hinc *Predicatum* absolventia, legas §. 20. Vide-
mus itaque, quod VERITAS humanæ naturæ in Christo sine
propriâ subsistentiâ consistat non tantum in conjunctione cor-
poris & animæ, sed etiam in utriusque à se invicem solutione in
ipsâ ὑπόστασι τῆς λέξης, quæ ne ad momentum facta fuit, videan-
tur §. 19. & 28. respons. ad exception. 1. argumenti. Quod concernit
Antecedens (1) dico, mysteria naturæ & rationi sese neutiquam
subdicere; multò minus nostrum fore ipsis præscribere regulam
& mensuram, cui commensurari, & si quæ ad amissim ratio-
nis non quadrare nobis videantur, vel repudiari, vel in peregri-
num sensum transformari possint ac debeant. (2) De θεανθρώπου
nulla est sequela: Christus in triduo mortis animam & corpus
non habuit unita; Ergo verus homo desit: Nulla, inquam,
est sequela. Nam *modus*, quod habuerit corpus & animam,
in ὑπόστασι semper unita, diverso tempore soluta & unita, non
variat rem, h. e. esse verum hominem; sed res concedit varieta-
tem modi, h. e. ut aliquid numero unum sit diverso modo tale vel
tale. Ergo partes humanæ naturæ in ὑπόστασι θεανθρώπου (quæ
nunquam in nihilum redacta fuit) siue fuerint inter se unitæ, si-
ve solutæ, secundum scripturae sensum, semper verum hominem.

essentialiter perfectum, sed maxime eminenti modo talem relin-
quunt. (3) Unio non constituit hominem, sed anima & corpus
in propria unionis subsistentia: Ratio est hæc, quia unio non est
pars humanæ essentiæ, sed partium modus seu vinculum. Jam
verò subsistentia Θεωθρώπου, h. e. quemadmodum Filii Dei, ita
etiam Filii hominis non perit; multò minus unio personalis,
quæ potissima ratio est, cur etiam in triduo mortis Θεωθρώπου
fuerit verus & maxime eminenti modo dictus homo: Et hæc suffi-
ciant ad antiquiora argumenta.

§. 45. Quod attinet fundamenta recentiora, quorum PRI-
MUM duos complectitur Syllogismos, respondemus ad utrum-
que partim in genere, repetendo observationem II. & IV. §. 38.
partim in specie ad utriusque tum Majorem, tum Minorem, appli-
cando ea omnia, quibus soluta fuerunt argumenta, SECLIN-
DUM §. 41. & TERTIUM §. 42. Quod concernit responsio-
nes ad illata inter hominem (1) vivum & mortuum. (2) Physi-
cum seu naturalem, & hyperphysicum seu supernaturalem,
quibus putat nonnemo à parte Dissidentium quædam opponi
posse, ut ad primum, cum distinguitur inter hominem vivum
& mortuum, concedi in utroque Syllogismo Majorem de homi-
ne vivo, non autem de homine mortuo, propter hæc argumen-
ta: (1) Non dari verum, perfectum & univocè dictum homi-
nem, nisi vivum. (2) Distinctionem inter hominem vivum
& mortuum fore nominis & hominis æquivoci, non rei & ho-
minis univoci, & consequenter hominem mortuum involve-
re contradictionem. (3) Hominem vivum & mortuum conve-
nire cum virgine inviolata & deflorata. Sed nos respondemus
ad notam (1) eam concedi posse, prout intelligitur nudus homo,
& in Prædicamento Substantiæ delitescit, qualem paragraphus
24. dicit, non autem, qualis determinatur §. 25. & alibi. Ad
notam (2) Distinctio principaliter agit de Ψιλανθρώπω, qui, si-
cut jam dictum fuit, sub conceptum Prædicamentalem cadit,
non verò de Θεωθρώπω, qui eundem transcendit. Hinc etsi
mortuus sit Christus, attamen secundum effata Spiritus Sancti
mediâ in morte est verus homo; & neutiquam aliqua contradi-
ctio erit, quando cum Scripturâ dicimus: Θεωθρώπου & mortuus
est

est verus homo. Ad notam (3) illam minimè locum habere: Etenim si conveniret *Ἰεσὺς θεὸς* & mortuus cum virgine deflorata, conveniret identitate, vel generica, vel specifica, vel numerica; sed nulla earum in præsentì negotio admittenda. Ratio est hæc: Quia *Ἰεσὺς θεὸς* est extra, & Virgo intra Prædicamentorum cancellos, quâ de re consulantur §. præcedentes.

§. 46. Præterea quando distinguitur inter hominem Physicum seu Naturalem, & Hyperphysicum seu supernaturalem, admittitur à parte Dissidentium hæc distinctio quoad utrumque membrum, & sic concluditur, sive sit Naturalis, sive supernaturalis, unusquisque est corpus animatum sentiens: Unusquisque est compositum quid ex corpore & animâ physicè unitis: Quum tamen à quibusdam hujus distinctionis pars tantum prior ad duo ista argumenta accommodari queat. Fundamentum assertionis est: Quod propositiones istæ sint catholicæ, veræ de omni, vero, perfectio & univocè dicto homine, sive sit naturalis, sive supernaturalis. Sed nos respondemus, jam dictæ distinctionis duo membra non simpliciter admitti posse. Ideò distinguendum venit inter hominem hyperphysicum secundum quid, cujus natura multis aliis hominibus communis est, & de iis enunciari potest: Sic Electi in Resurrectione mortuorum ex adversariorum hypothese erunt homines supernaturales: & maxime eminenti conditione talem, de quo nulla cæteris hominibus communis natura adstruitur, legas §. 17. 18. & præcipuè 24. Deinde Christus *Ἰεσὺς θεὸς* est in nullo Prædicamento, multò minus evinci poterit, Christum esse hominem univocè talem, hoc est, qui in omnibus conveniat cum reliquis hominibus. Quod ad fundamentum, illud verum est de homine tum naturali, tum supernaturali secundum quid, non autem de *Ἰεσὺς θεὸς*, homine supernaturali maxime eminenti conditione tali, ut hæctenus ad nauseam fermè indigitatum fuit. Confer. §. 41. & præcipuè ejusdem verba Porro &c.

§. 47. Ut autem nostram sententiam eò felicius evertant Dissidentes, eam in Syllogismum redigunt, & respondere postea conantur. Argumentum est tale: Quicumque est homo verè, sed non merè, quicumque eminentiis supra conditionem humanâ infinitis pollet, non est objectum Physicum, & consequenter examinari non debet
juxta

juxta leges naturæ. Filius Dei est homo verè, sed non merè; pollet eminentiis supra conditionem humanam infinitis. Ergo Filius Dei non est objectum Physicum, & consequenter non debet examinari juxta leges naturæ. Ad hunc Syllogismum respondent, majorem non esse simpliciter veram. Limitari ita: Quicumq; est homo verè sed non merè; quicumq; eminentiis supra conditionem humanam infinitis pollet, non est objectum Physicum ordinarium, tamen extraordinarium; non in totum, quatenus θεῶν ὅμοιος, quatenus infinitis gaudet eminentiis, sed in tantum, in quantum verus homo; atq; in tantum non recusat examinari juxta leges naturæ, sive juxta requisita naturæ humanæ essentialia. Addunt se agnoscere duo hæc, in Christo θεῶν ὅμοιος eminentias, & naturam humanam. Sed hæc hostiliter non debere inter se committi. Ita credenda veritas humanæ naturæ, ne destruat Eminentia; & ita defendenda Eminentia, ne vis inferatur veritati & integritati humanæ naturæ. In filio Dei multa esse, quæ superant captum humanæ rationis, nihilominus in quantum homo, velle examinari juxta communes leges & essentialia humanæ naturæ requisita.

§. 48. *Hæc opinio confirmatur quinque rationibus, inter quas palmaria est oraculum Apostolicum, reliquæ quatuor ad præsentem controversiæ statum minimè quadrant: Probaturi. Ex Scriptura, quæ in asserenda humanitate Filii Dei provocat ad conditiones essentialia & similitudinem nostræ naturæ, in quâ nobis per omnia Filius Dei factus est similis, excepto peccato Ebr. I, 2. 14. Sicuti pueri participes sunt carnis, & sanguinis, ita & ipse θεῶν ὅμοιος μετέχευε τῶν αἰμάτων, consimiliter particeps factus est eorundem, ut per mortem aboleret eum, penes quem est mortis robur, h. e. Diabolum, & liberos redderet, quot quot metu mortis per omnem vitam damnantes erant servitutis. Ex quibus verbis ita colligitur: Quicumq; homo nobis est ὁμοιος, sive coessentialis, is quatenus homo, examinari potest & debet juxta requisita essentialia nostræ naturæ. Filius Dei est homo nobis ὁμοιος, sive coessentialis. E. Filius Dei, quatenus homo, examinari potest & debet juxta requisita essentialia nostræ naturæ.*

§. 49. *Jam quod attinet Dissidentium exceptiones, & quidem*

dem ad Syllogismi *Majorem* §.47. respondemus, illas vix concedi posse: Nam *extraordinarium* objectum Physicum ideò dicitur *extraordinarium*, quia nec potest, nec debet quadrare in omnibus ad naturæ leges, quas Physica communes habet, ut de multis prædicetur, aliàs conveniret *extraordinarium* ubiq; cum *ordinario*, id quod nemo Philosophorum concedet. Deinde quamvis dicatur, *θεωρεῖται* non *in totum*, sed *in tantum*, in quantum verus homo est, ad Physicam pertinere; attamen nos dicimus, quod neq; hæc ratio *Majorem* impugnare valeat. Fundamenta vide §.17.18.19.20.24. Distinctio *Eminentiarum* à *naturâ humanâ* in Christo *θεωρεῖται* ad defendendam hypothesein parùm facit. Etenim ut neutra natura ab alterâ separari potest; ita etiam natura humana respectu unionis Personalis in Christo nec potest nec debet ullo modo esse sine istis *Eminentis*, & vice versa, istæ *Eminentie* non possunt esse sine *humanâ naturâ*. Quod ad oraculum, & inde formatum Syllogismum, Respondemus distinguendo inter *Similitudinem quoad rem*, & *rei modum*. Quicumq; homo nobis est *ὁμοῦσι* & sive coessentialis *quoad rem* & *rei modum*, is, quatenus homo, examinari potest & debet juxta requisita essentialia nostræ Naturæ. Sic affirmatur *Major*, & negatur *Minor*. Nam Filius Dei licet nobis *ὁμοῦσι* & sive coessentialis fuerit *quoad rem*, non tamen nobis *ὁμοῦσι* & coessentialis fuit *quoad modum rei*, de quo legas totam fermè Dissertationem, & præcipuè §.24. Deinde addimus, quod in fonte non extet *ὁμοῦσι* & coessentialis, sed quod, uti pueri, ita ipse quoq; participes sit factus carnis & sanguinis, quo ipso asseritur quidem veritas humanæ naturæ, sed quod præter hanc aliud nihil acceperit, & secundum regulas naturæ examinandus sit, non dicitur. Reliquas rationes pro tuendâ distinctione inter *Eminentias*, & *Naturam humanam*, ad discursum publicum reservamus.

§.50. Ad SECUNDUM Fundamentum & quidem ad ejus, tum *Majorem*, tum *Minorem*, reponimus ea, quæ extant sub paragrapho 40. Eo ibidem sufficienter soluto, progressum facimus ad TERTIUM, ubi ad *Majorem* respondemus, (1) Sacrificium externum propriè dictum esse, cum victima destructiva quadam mutatione Deo offertur. Atq; ita Christus quoq; destructiva quadam

H dam

dam mutatione, in arâ crucis oblatus est, non per omnimodam
annihilationem, sed quia desit esse vivus. Ergo *Major* est parti-
cularis, & ita vitium in formâ. (2) Destructionem illam in *Majore*
loqui non tantùm de solutione corporis ab animâ, sed etiam de
destructione totius suppositi. Id quod minimè gentium de Chri-
sto mortuo asseverare licet. Etenim unio naturalis in Christo per
mortem etsi sublata sit, non tamen Christi hypostasis sublata fuit.
Ideò non necessum est, ut singulæ circumstantiæ, quæ sunt in Ty-
pò, inveniantur in Antitypo. Satis est, quod conveniat mors
Christi cum destructione Sacrificii in Veter. Testamento in eo,
quod Scriptura intendit, vid. in solutione unionis naturalis cor-
poris ab anima, & in τὸ desinere, Christum vita naturali esse vi-
vum hominem, confer §. 35. arg. II. Ergo adhuc Christum media
in morte juxta *Scripturæ sensum* permanisse verum hominem fir-
missimè obtinetur.

§. 51. Ad *QUARTUM* Fundamentum, & quidem ad Syllogis-
mum I. jam jam responderi potest, (1) ipsius *Majorem* tum demum
admittendam esse, quando loquitur de *ψιλανθρώπων*, non autem
de *θεανθρώπων*. Ergo: Quicumq; ex mortuis resuscitatur ut *ψι-
λάνθρωπων*, is idem numero reproducitur: Sic concedimus *Ma-
jorem*, & negamus *Minorem*. Verum: Quicumq; ex mortuis resu-
scitatur ut *θεανθρώπων*, is idem numero reproducitur: Sic nega-
mus *Majorem*, & concedimus *Minorem*. Nam Christus *θεανθρώ-
πων* licet à Deo Patre ex mortuis resuscitatus fuerit, non tamen
ut *idem numero* reproductus est. Ratio est hæc: Quia unio Per-
sonalis duarum Naturarum in Christo nunquam soluta, neque
earundem *ὑπόστασις* & subsistentia, per mortem ullo tempore
sublata fuit, legatur §. 33. 43. Ergò de Christo multo minùs veri-
ficari poterit, quod post resuscitationem ex mortuis *idem numero*
reproductus sit; prolixior si quis petit responsionem, adeat
paragraph. 35. (2) *Majorem* esse prædicationem usitatam, *Minorem*
verò inusitatam. Ergò non valet consequentia; *mutato genere
prædicationis usitato in peregrinum*; vel quando una præmissarum
habet prædicationem prædicamentalem; altera verò eminentem. (3)
Addimus, quod Christus non tantùm à Deo Patre ex mortuis re-
suscitatus fuerit *Act. V, 30. Eph. I, 17. 20. Rom. VI, 4.* sed quod etiam
seipsum

seipsum excitarit : Est enim etiam in morte Resurrectio & vita ipsa *Job. XI, 25.* Princeps vitæ *Act. III, 15.* *Job. X, 18.* (4) Deniq; , si totum argumentum concederemus , nihil aliud inde exsculpi potest, quàm eum, qui verè mortuus est, iterum cœpisse vivere, quod concedimus. Quod concernit probationem *Majoris*, & Syllogismum II. ea sufficienter solvunt paragraphi 33. 34. & præcipuè 35. ad quos lectorem benevolè remissum volumus.

§. 52. Ad QUINTUM Fundamentum, & quidem I. ad locum tum *Danielis c. IX, 26.* tum *Luce cap. XIII, 32. 33.* quorum verba in nullam formam syllogisticam redacta sunt, respondemus; utrumq; dextrè explicandum esse: Etenim neq; *Daniel*, neq; *Lucas* intellectam volunt *excisionem* totius personæ seu *ἄποψυξιν*, conferas §. præcedentem, & §. 33 *not. 5.* sed unicè naturalem corporis ab animâ solutionem, quâ datâ Christus ratione externi cum hominibus in terrâ commercii maximè excisus, h. e. è medio sublatus fuit; & idem hoc confirmat *Esa. cap. LIII, 8* de mortuo Christo ita locutus: *נִגְזַר מֵאֶרֶץ הַחַיִּים* Abscissus est de terra viventium. Deinde addimus istas loquendi formulas, *non esse, periisse, desisse, consummatum esse* Christo *θανθρωπων* in triduo mortis non derogare permanentem veri hominis naturam, sed solummodo naturale corporis cum anima sodalium, h. e. vitam. II. Ad locum *Job. II, 19.* & ad totam ex ipsius verbis collectam argumentationem respondemus, non in universum concedendam esse: Nam *Theologia symbolica non est argumentativa*; vel ut August. ait: *Figura nihil probat.* Deinde non necessum est, omnes circumstantias, quæ sunt in Typo, reperiri in Antitypo. Tertiò negamus *Majorem*, quia omne templum in suas partes solutum definit esse tantum tale vel tale: Etsi igitur non negemus, quod Christus *vivere vita naturali* desierit; & in resurrectione reviviscere cœperit, non ideò tamen desit esse verus homo, huc refer. §. 34. 35.

§. 53. Ad SEXTUM Fundamentum, quod pariter sine Formâ Syllogisticâ proponitur, & potissimùm in demonstratione *Consensus* (at saltem duorum) *Theologorum* consistit, respondemus (1) non auctoritatibus, sed rationibus pugnandum esse. (2) Ipsum non esse consensum *Lutheranæ Ecclesiæ universalem*; sed ma-

ximè particularem, quia non nisi duo à parte Lutheranorum Theologi in publicum producuntur. (3) Consensui maximè particulari opponi posse consensum in Ecclesia tum antiquâ, tum præfenti multorum insignium Virorum videas §. 25. 29. 30. 31. 32. 33 quibus annumerari potest §. 34. (4) Illos controversiæ statum aliter informasse: Etenim hujus materiæ status nobis non est, qui determinatur §. 24. sed cujus mentio fit §. 25. Ideò mirum non est, quod illi non nihil dissentiant: Et hæcenus evicta sunt quoq; recentiora Fundamenta.

§. 54. Tandem superest, ut *Exceptionibus Dissidentium* ad nonnullas Difficultates, parili modo satisfaciamus; quod ut rectè fiat, allegata quorundam à parte *Consistentium Doctorum* argumenta cum suis Fundamentis proponemus: PRIMUM colligitur *ex nomine Christi*, unde fit tale argumentum: Quicumque non est homo, non est Christus. Christus in morte non est homo. E. Christus in morte non est Christus. SECUNDUM ab appellatione *Ἰεσὺς θεῶν* sumitur: argumentum: *Ἰεσὺς θεῶν* est verus homo. Christus in morte est *Ἰεσὺς θεῶν*. E. Christus in morte est verus homo. TERTIUM ab aliis appellationibus, quas *λόγος* tempore mortis retinuit, v. g. *Filius hominis, Filius Davidis, Filius Mariæ, Secundus homo*, argumentum: Filius hominis est homo. *λόγος* in morte est Filius hominis. E. *λόγος* in morte est homo. Minor probatur ex dicto *Matth. XII, 40*. Sicut Jonas fuit in ventre ceti tres dies & tres noctes. QVARTUM desumitur à sanguine, qui fluxit ex latere Christi mortui, argumentum: Sanguis Jesu Christi est sanguis veri hominis. Sanguis è latere Christi in morte profluens est Sanguis Jesu Christi. E. Sanguis è latere Christi in morte profluens est Sanguis veri hominis. QVINTUM ab indissolubili duarum in Christo naturarum unione, argumentum: Humana natura à *λόγω* assumpta aut mansit in morte, aut desit. Si mansit; E. Tempore mortis Christus adhuc fuit homo. Si desit, *λόγος* non amplius fuit incarnatus, nec Persona ex duabus naturis constans. SEXTUM ab officio *Sacerdotali & Mediatorio*, argumentum (1) Mediator inter Deum & homines est verus homo. Christus tempore mortis est Mediator. E. Christus tempore mortis est verus homo. Major probatur

batur ex *I. Tim. II, 5.* unus est Mediator inter Deum & homines. Quia enim mediator est medius, & Persona medians, certo respectu debet distare ab utraq; parte. Hinc Mediatorem nostrum oportuit esse Deum & hominem, ut esset mediator secundum utramq; Naturam (2) Omnis sacerdos est homo. Christus tempore mortis est sacerdos. E. Christus tempore mortis est Homo. Minorem confirmat David Psalm. CX, 4. Tu es Sacerdos in perpetuum. SEPTIMUM à partibus hominis essentialibus, argumentum: Anima & corpus unita in unâ *ὑπόστασι* constituunt hominem. Anima & Corpus Christi tempore mortis sunt unita in unâ *ὑπόστασι*. E. Anima & Corpus Christi tempore mortis constituunt hominem. OCTAVUM à differentiâ hominis, rationalitate, argumentum: Omne rationale est vel angelus, vel homo, vel anima separata. λόγος in triduo mortis est rationalis. Habuit enim animam rationalem sibi unitam. Ergo λόγος in triduo mortis vel est angelus, vel homo, vel anima separata. Sed nec angelus, nec anima. Ergo homo. Hucusq; argumenta.

§. 55. SECUNDO necesse est, ut ipsas quoq; *Exceptiones* videamus, & deinde ad eas responsiones, etsi per breves, subjungamus. Excipit non nemo à parte *Dissentientium* ad PRIMUM argumentum, similem, ut ipse ait, opponendo difficultatem: Quicumq; non est homo, non est Cicero. Cicero mortuus non est homo. E. Cicero mortuus non est Cicero. Hunc Syllogismum sicut ipse concedendum esse putat, si quis eum considerat secundum *ampliationem, & statum*, de quibus terminis legatur § 39. ita quoque argumentationem de nomine *Christi* similiter admittendam esse judicat. Sed nos respondemus (1) à *Μιλανθρώπων*, hoc est, à Cicerone, in omnibus ad *θεάνθρωπον*, h. e. Deum & hominem (& vice versâ) argumentari non licere, vide § 49. Nam *Ipsi* cum *Hoc* magna intercedit disparitas, ut monent *paragr. 2. 17. 18. 19. 24. 26.* (2) Ipsam Phrasin in *ampliatione & in statu*, ad Christum mortuum applicatam respicere ad asserendam & negandam in Christo, non tam humanæ Naturæ veritatem, quàm ipsius naturalem vitam. Hinc per mortem Christi non humanam Naturam, sed naturalem vitam ad tempus brevissimum defuisse, concludendum

dam venit. Ad SECUNDUM excipit ille (1) distinguendo inter θεῶν, quatenus consideratur in statu ordinario: sic Major ab ipso statuitur vera, & Minor falsa, & extraordinario; sic Minor vera, & Major falsa. (2) Prætendendo triplicem humanæ Naturæ statum, cujus primus dicit humanam Naturam assumptam; secundus prorsus fractam & in pulverem mortis redactam; tertius restitutam & quidem gloriosè. Sed hic responderi potest, neutram Exceptionem hic aliquid valere; non priorem, quia θεῶν, Deus & Homo, cum sive ante mortem, sive in ipsâ morte, sive post mortem consideres, semper fuit in statu maximè extraordinario; neq; posteriorem, cum in Christo per triplicem humanæ Naturæ statum non tam ipsa res, h. e. humana Natura, quàm ipsius rei modus variet; & ita negamus Christum in triduo mortis aliquid de integritate hominis amisisse. Ad TERTIUM & quidem (1) ad Majorem excipit, illam non ubiq; & semper veram esse. Nego, inquit, quod is, qui est filius hominis, sit etiam verus & univocè dictus homo, in quocunq; statu fuerit. (2) ad textum allegatum, verba (filius hominis) importare statum, nec propriè, qui jam in corde terræ, h. e. sub terra est, esse (jam in statu) filium hominis. Quod concernit exceptionem primam, respondemus illam veram esse de ψιλανθρώπῳ, non autem de θεῶν. Deinde addimus, magnum discrimen esse inter hominem univocè, §. 34. & maximè eminenti modo talem §. 25. Quod ad secundam, dicimus verba textus non tam secundum rationis mensuram, quàm secundum Spiritus Sancti mentem esse examinanda. Hinc Filius hominis, qui θεῶν est, sive vivus sit, sive mortuus, non solum quoad nomen, sed etiam quoad rem est, & permanet in omnem æternitatem filius hominis, & sic consequenter verus homo. Probationes si quis desiderat, ipsi Fundamento sit tota nostra Dissertatio, imprimis verò §. 26. Ad QUARTUM excipit, inde colligi non posse: Ergo Christus mortuus fuit verus homo. Ipsius verò rationes sunt: Sicut sanguis Pauli alicujus, inquit, Paulo decollato, hominis dicitur; & corpus ejusdem corpus hominis, seu quod idem est, corpus humanum, ita etiam corpus Christi & sanguis Christi. Caro enim & sanguis post mortem denominationem sortitur à subjecto, cujus fuerat

fuerat, cum subjectum erat in integro statu. Sic caro bovis, *pergit*, bove mactato, bovina seu bubula dicitur, & sanguis dicitur bovis sanguis. Nemo tamen inde colligit: adhuc hoc est bos, hoc adhuc est animal. Verum nos respondemus, exinde omnino colligi posse, quod Christus mortuus fuerit verus homo; ac non, quod Christus mortuus fuerit vivus homo. Deinde quis non videt, hic unice disputari de $\psi\iota\lambda\alpha\theta\rho\acute{\omega}\pi\omega$, à quo ad $\theta\rho\acute{\omega}\pi\omega\nu$ non in omnibus argumentari licet, ut sæpè monitum fuit. Sanguis enim Christi est ipsius Dei sanguis, qui corruptionem non vidit, Psal. XVI, 16. Tertio nimis duram est, inter carnem & sanguinem bovis, & carnem & sanguinem Christi comparisonem aliquam instituire. Ergo adhuc manet, quod Christus mortuus fuerit verus homo. Ad QUINTUM excipit, Antiquitatis effatum (*Quod Christus semel assumpsit, nunquam deposuit*) rectè intelligendo, siquidem negari nequeat, humanam Naturam non mansisse semper in eodem integritatis statu, nisi mortis veritatem quis negare velit. Ideò distinguo, *pergit*, ac dico: Natura humana mansit *materialiter*, non *formaliter*; mansit quoad *partes*, non quoad *partium unionem*. Ad hanc Exceptionem quid respondendum sit, videantur, §. 28. 29. 30. 34. 35. Deinde integritas veri hominis $\theta\rho\acute{\omega}\pi\omega\varsigma$ non tantum consistit in unione Physica, sed etiam in unione hyperphysicâ §. 19. quæ naturali unioni multum præstat. Ad SEXTUM, ubi duo Syllogismi de *Sacerdote* & de *Mediatore*, excipit redigendo prolixius præmissa in hæc paucula: *Omnis Sacerdos est homo; Omnis Mediator est homo*, in statu ordinario & communi; non in statu peculiari & extraordinariò. Sed nos reponimus ad hanc Exceptionem ea, quæ extant §. 27. respons. ad argum. IV. & §. 19. Ad SEPTIMUM, & quidem ad ejus Majorem excipit, illam partim concedendo de unione animæ & corporis physicâ in $\psi\omega\sigma\iota\sigma\epsilon\iota$ propriâ; partim negando de unione hyperphysica in $\psi\omega\sigma\iota\sigma\epsilon\iota$ communicata, eò scil. tempore, quo anima & corpus inter se non sunt unita naturaliter, sed separata, &c. Hæc *exceptio* quamvis videatur aliquid magni importare; attamen sufficienter jam destructa fuit, §. 28. Porro, qua ratione $\theta\rho\acute{\omega}\pi\omega\varsigma$ nobis dicatur consubstantialis, invenies §. 49. Tandem annectimus, quod
Chri-

Christus sit homo, non univocè §. 24. sed maximè eminenti modo
 talis, §. 25. Hinc non in omnibus cum $\psi\lambda\alpha\nu\theta\epsilon\omega\pi\omega$ convenit,
 vid. §. 20. 24. 38. not. IV. Ad OCTAVUM & ultimum excipit (1)
 suam mentem de *rationalitate exponendo*, quod scil. *rationalitas*,
 quatenus dicit differentiam hominis, semper implicet esse cor-
 poreum, & intelligatur in Substantia corporea. (2) Distinguendo
 inter rationale per propriam naturam, & per communicatio-
 nem, &c. Verùm nos respondemus ad *primam* Exceptionem, (1)
 eam in angelis & anima separata non valere. (2) Illam principa-
 liter loqui de nudo & vivo homine, cujus anima nunquam sine
 corpore, & corpus nunquam sine anima est; non autem de homi-
 ne Deo, cujus anima triduo mortis quoad unionem naturalem
 in ipsa $\tau\omega\sigma\tau\acute{\iota}\sigma\epsilon\iota$, ad tempus brevissimum corpore destituta fuit.
 Ad *secundam* dicimus, non quidem quoad modum, sed quoad
 rem perinde esse, $\theta\epsilon\acute{\alpha}\nu\theta\epsilon\omega\pi\omega$ sive per naturam humanam pro-
 priam rationalis sit, sive per communicationem: Et ita relinqui-
 tur, quod Christus $\theta\epsilon\acute{\alpha}\nu\theta\epsilon\omega\pi\omega$ in triduo mortis verus, essenti-
 aliter perfectus, at non univocè, sed maximè eminenti conditione
 dictus homo fuerit & permanserit. Hæc sunt, quæ de *presenti*
longè diff:illimo Problemate in medium proferre instans tempus
 suavit: Christus Jesus, Deus & verus homo in omnem æternita-
 tem, qui mortem suam sponte & omni lubentia sustinuit, perfe-
 citq; , quæ salutis nostræ recuperandæ necessaria, faxit, ut
 cum ILLO, in agone mortis luctantes, nos quoque
 exclamare possimus, **CONSUM-
MATUM EST!**



05 A 939

ULB Halle 3
003 761 606


VD 97

sch







B.I.G.

Farbkarte #13



LOGICA SANA ET SOBRIA
 DE
 STIONE,
 S IN TRIDUO MOR-
 MO PERMANSERIT ?
 ET QVISQVILIS
 HÆRETICORUM, AD-
 DISSENTIENTIUM DOCTORUM,
 INDIRECTE, PRÆTER VERITATEM
 NATURAM VERI HOMINIS IN
 AM NEGARUNT, ET AD-
 NT, OPPOSITA, ET
 CHRISTI ΘΕΑΝΘΡΩΠΟΥ ΜΟΡΤΙΣ,
 ΙΑΝΘΡΩΠΟΥ ΠΕΡΡΕΤΥΙ ΑΝ-
 ΡΕΥΟΛΥΤΙΟΝΕ,
 ΑΕ ΣΙ Δ Ε
 ΤΡΕΝΔΟ, ΑΜΠΛΙΣΣΙΜΟ ΑΤ' ΟΥΕ
 ΛΕΝΤΙΣΣΙΜΟ
 ΕΙΣΝΕΡΟ, S. S. ΤΗΕΟ-
 , ΕΤ Ρ. Ρ. ΚΕΛΕΒΕΡΡΙΜΟ,
 ΕΛΕΚΤΟΡΑΛΙΥΜ ΕΡΗΟΡΟ
 ΑΥΙΣΣΙΜΟ,
 ΟΝΟ ΑΚ ΡΟΜΟΤΟΡΕ ΣΥΟ ΟΜΝΙ
 ΒΑΝΤΙΕ ΚΥΛΤΥ ΑΕΤΕΡΝΥΜ
 ΣΕΥΕΝΔΟ,
 ΟΥΜ ΠΥΒΛΙΕ ΡΡΟΠΟΣΙΤΑ
 Α
 ΟΡΟ ΓΡΑΥΜΥΛΛΕΡΟ,
 ΑΝΔΟ, ΚΟΛΛΕΓΙΙ ΡΗΙΛΟΣΟΡΗ.
 ΔΥΝΚΤΟ.
 ΥΟΡΙ ΑΔ ΔΙΕΜ ΡΑΡΑΣΕΥΕΣ.
 ΙΟ ΑΛΤΕΡΑ.
 ΤΤΕΒΕΡΓ ΑΕ,
 ΖΗ Ακαδ. Τυπογρ. ΥΙΔΥΑΜ, Ανο 1674.